Materialien

zur alten und neuen

Statistik

von

Böhmen.

XII. Heft.

Leipzig und Prag,
bey Kaspar Widtmann 1794.

Inhalt des XII. Heftes.

I. Balbins Nachricht vom Kriegswesen in Böhmen. S. 1
—— von Turnieren u. s. w. S. 63
—— von den k. Einkünften u. s. w. S. 84
—— vom neuangenommenen Adel S. 101
—— von den Verhältnissen der Herren u. s. w. S. 111
—— von den Juden S. 119
II. Entwurf einer Statistik von Böhmen. Aus einer Handschrift. (Fortsetzung.) S. 129
III. Einige Zusätze, Nachträge und Verbesserungen u. s. w. S. 203
IV. Versuch eines Verzeichnisses der vorzüglichern Tonkünstler in oder aus Böhmen mit 2. Kupfertafeln. (Fortsetzung.) Die Nachrichten von den in Prag lebenden Tonkünstlern werden erst nachfolgen. S. 228
V. Nachtrag zu dem in X. Heft der Materialien unter N. XXVII. erschienenen Verzeichnisse der Pesten und merkwürdigern Volkskrankheiten in Böhmen. S. 299
VI. Verzeichniß der Lehen von 1636 S. 303
— — — — von 1612 S. 318

Balbins Nachricht vom Kriegswesen in Böhmen.

Als Fortsetzung.

CAPUT XIII.

De Militia veterum Bohemorum: tum præclara quædam edita bello facinora, præcipue a Ducibus, & Regibus nostris, tum etiam aliis summatim referuntur.

In confesso est, duo esse Reipublicæ tempora, alterum *belli*, alterum *pacis*, in hoc leges præcipue, & jura dominantur, & lites, si quæ exoriantur, authoritate Magistratuum pacate, & placide componuntur; at in altero

Non ex Iure manu consertum, sed mage ferro,
Rem repetunt,

ut canit Ennius. Periculosius est Reipublicæ hoc bellorum tempus, finire enim tam cruentas lites, & bellum gloriose terminare, nulli, nisi victori conceditur; proinde ad bella gerenda aptissimos duces, & militares Magistratus, tum milites viros strenuos, ac corpore & animo fortissimos eligi necesse est. Congruum igitur puto, cum hactenus Magistratus, & totam Reipublicæ pacatam œconomiam descripserimus, & describamus, aliquid etiam de militia veteris Bohemiæ adferre, ne debito præconio tanti Duces, & Magistratus bellici fortissimique milites, *qui sanguine nobis hanc Patriam peperere suo*, & vigilantia, & strenuitate toties ab hostibus Bohemici Nominis servavere, fraudentur. Nihil aliud, quam indicem hoc loco texere placet, ut nuper bellorum, ita

nunc qui inclaruere bellis, virorum; nam quæ extenduntur exemplis, & non niſi narratione paulo prolixiore explicari poſſunt, in Valerium Maximum Bohemiæ (libri titulus eſt, exempla, & dicta memorabilia Bohemorum continentis) rejicio, bona, ut ſperare licet, venia lectorum.

§ I.

De Militari Clypeo Bohemorum Leonis coronati & bicaudati.

Weles in trac. de fam. Regia Boh.

Dubr. in Hiſt. Boh.

De tribus Ducum lineis late egimus. Dec. 2 L. 1. init.

Czechum gentis noſtræ primum *Ducem aquilam nigram* in campo flammeo geſſiſſe (quam legione Romana in Illyrico deleta in Bohemiam attulerit) Weleslawin. citatis quibusdam ſcriptoribus, affirmat. In Epitome noſtra hiſtorica de Principum noſtrorum clypeis diſputatio legi poteſt, in qua meam ſententiam prolatis optimis ſcriptoribus adduxi. Principio alius fuit univerſæ gentis, alius Principum Clypeus, *Przemyslæa* Gens *Principum*, ac *Regum* lineas tres rubras in candido campo geſtavit, ut hodieque Sſwihovii geſtant, qui ex *Regum* iſtorum *ſanguine* deſcendunt. *Aquila Czechi Ducis*, & *militum* ſuorum, qui victoriam Ducis adjuverant, clypeus diu fuit: *aquilam nigram* nido candidarum aquilarum, quas felici auſpicio in Gneſna (quaſi nidum diceres) viderat *Lechus* Czechi frater, mutavit in candidam. Aquila ipſa gentis ſub an. 1159. ad *Mediolanum* leoni ceſſit: quippe tot, & tam præclara a Bohemis edita bello facinora ſunt in *Italia Friderici Ahenobarbi Imperatoris auſpiciis*, ut *Imperator animal*, quod conſtat eſſe fortiſſimum, in vexilla Bohemorum

cum

cum ampliſſimæ virtutis commendatione in ipſis caſtris Italicis inſeri juſſerit; at cum pictoris caſtrenſis imperitia *Leo* pictus, velut ignobiles canes ſolent, caudam ſub alvum conderet, militari convitio clamatum eſt, *canem pro leone depictum*. Id ubi accepit Imperator, continuo corrigi errorem juſſit, atque ut *Leonem generoſum* agnoſcerent (qui ſe indignans cauda verberat, & vim ſuſcitat ira) ſubrigi altiſſime caudam, eamque geminam (quam geminationem caudæ non paucæ gentes in clypeis imitari voluerunt) unius loco cum nodis aliquot, & cinnis pilorum eleganter apparere. Ita *Clypeus Bohemiæ* pro *aquila Leonem*, aurea corona redimitum *ſtantem*, & ad diſcerpendum aliquid hoſtile primoribus pedibus comparatum (verbo: indignantem, & exerta lingua hoſtilis prædæ cupidum) & bicaudatum repræſentat. Scio *Leonis* inſigne in provinciarum quarundam clypeo lucere, at Bohemis decus hoc bello partum eſt, & ab *Imperatoribus* datum, quod paucis gentibus (quarum ego fortitudini nihil hic detractum velim) contigit. Ex eo jam tempore usque ad Avorum noſtrorum ætatem *omnis Bohemiæ Nobilitatis* occupatio, & quædam profeſſa ars militia fuit, adeo: ut tota Nobilitatis apud nos origo ex bellis, & facinore aliquo bellico petatur. Quod ſuo loco, cum de Nobilitate agetur, probabimus; militiæ vero Bohemicæ duces aliquot, qui exercitus Bohemorum adverſus Turcas, aut alios Regni hoſtes duxerunt, cum de comitiis ageremus (nam per illa omnium ordinum videlicet conſenſu legebantur) nominavimus.

§ II.

Quantum Militum olim dederit, aut dare potuerit vetus Bohemia? Tum quantas copias ad defensionem Regni Majore nostris alere sint soliti? Generatim aliquid de Turcicis in Ungaria bellis.

Praga, quantum populo valeret, *Ioannis Regis* tempore documentum dedit, cum Rege in Austria bellum gerente, & subitum auxilium poscente, soli Pragenses tridui spatio decies mille viros bellaces, ultroneos, belliquc peritos, armis optime instructos, tam de equo, quam de curru pugnare assuetos conscripserunt, & tunicis æqualibus, & concoloribus vestitos omnes ad Regem propere miserunt, gratissimum Regi suo spectaculum; ac ne forsitan hæc militia Regem gravaret, addidere septingentos quadraginta currus bellicos, qui & alimenta, & arma deveherent, ut Petrus Abbas Aulæ Regiæ, qui hæc omnia suis ipse oculis spectabat, in Chronico descripsit. Hagek, tum cæteri scriptores nostri testantur, cum *Dux Bavariæ* A. 1383. in *Bohemiam* irrupisset, Wenceslaum Regem nihil commotum, ut potentiam Regni monstraret, Ecclesiasticis solis, Ducis Bohemia pellendi negotium, & bellum gerendum commisisse; *Archi-Episcopum* intra octodecim dies collegisse equitum tria millia, reliquos cœnobiorum *Præpositos*, & *Abbates* totidem dierum spatio eduxisse septem peditum millia, & novem sexagenas curruum (ut erat tum militia) quo milites *Bavariam* ingressi, prædas maximas egerunt; hujus *Ecclesiastici Exercitus Ducem Sulkonem Chotiessoviensem* Præpositum, Sswihowskianæ Stirpis, ob rem bene gestam *aureo poculo* Wenceslaus Rex donavit; quod

Chron. Aulæ Regiæ. C. 20.

pocu-

poculum hodiedum, ut audio, inter ſacri Parthenonis cimelia aſſervatur.

Peregrina militia raro Regibus noſtris placuit: Wratislaum I. Regem extero milite uſum eſſe aliquando invenio; Huſſitæ Polonorum auxiliis ſæpius ſunt adjuti; ſenſit auxiliorum fluxam fidem malo ſuo, ut ante narravi, Przemyslaus Ottogarus, cum improvide Germanis adverſus Germanos ſalutem ſuam concredidiſſet, ſuis Bohemis, quos prius everſos bonis ſeveritate etiam offenderat, diffiſus.

Stransky, qui ætate mea vixit, putat, ſi quando caſus ferat, cogatque Bohemiam, ad arma deſcendere pro ſalute, onusque more Majorum ex æquo ſubeant univerſi, Bohemiam veriſimiliter *ſupra triginta peditum*, *equitum* extrema in neceſſitate *decem millia* ſub ſignis habituram; quem ego numerum conflari in his Patriæ calamitatibus, & exterminiis vix, ac ne vix quidem poſſe puto. Alioqui æterna quadam apud Majores noſtros lege ſtatutum fuiſſe accepimus, ut ſi Rex ipſe proficiſceretur in bellum, omnis Nobilitas viritim arma corriperet, neque tamen extra Regni limites (niſi belli curſu poſcente) ad aliorum auxilium poſſet adduci; in Patriæ periculis, conſuetudinem fuiſſe, in comitiis lego: quamprimum duodecim millia peditum, equitum millia quatuor ab Ordinibus imperari. Hoc tamen ex omnibus, quæ Bohemi veteres geſſerunt, bellis, animadverti ſemper: minimum in multitudine inordinata præſidii poſuiſſe, ſed elegiſſe juvenes maturos, & viros imperterritos, bellandi peritos, diſciplinæ patientes (quo nomine hodieque a Ducibus Bohemos laudari, ut injuriarum omnium patientiſſimos, & ad famem, pluvi-

Strans. C. 16. § 7. Rei p. Boh.

as, vigilias, & omnem militarem laborem duratos, sæpius audivi) præcipua tamen Bohemorum, ac præsertim Nobilitatis ab equestri militia gloria, communi gentium Slavica lingua utentium commendatione, ut Polonis, Croatis, Illyrico equitatu etiam apud veteres celebri. Sed quod dicere institueram. ita gesta sunt eo militum numero, ne gravaret, & seipsam impediret multitudo (ut Xerxi & Dario contigit) neve contra ludibrio paucitas esset, mille viris, qui semper erant in promptu, adversus *Noricos*, & *Misnicos* grassatores (unde *Dresdæ* nomen *Drazdianii*, quod irritationem significat) custodiebatur Bohemia jam inde a *Boleslai Sævi* temporibus. *Wratislaus adversus Ungaros* sexdecim armatorum millibus pugnavit, *Przemyslaus Ottogarus*, qui postea proditione suorum (ut diserte *Chronicon Aulæ Regiæ coævi, & religiosi* scriptoris. Abbatis Petri, *affirmat*) occubuit, Rudolpho Austriaco feliciter vincente A. 1278, hic, inquam, Ottogarus mediocri cum manu *Prussiam totam* Victor A. 1254. perambulavit. A. 1260 ducenta prope barbarorum millia, quæ bella Rex Ungarorum objecerat, profligavit, cæsis ex eo numero plurimis millibus, & ponte per hostium cadavera structo.

Petrus Abbas Chron. A. Reg.

§ III.

Explicatur veteris militiæ Bohemorum ratio in Curribus. De Vexillis ejusdem militiæ, & quomodo numerari consueverint.

Æneæ Silvii verbis usum, quem Majoribus nostris Currus præbebant, explicabo; simul illud de septingentis curribus, quos Regi suo a Pra-

Pragensi urbe missos § II. narravi, illustrabitur, simul militiæ Bohemicæ veteris aperietur arcanum. *Silvius* igitur cum multis militiam & fortitudinem gentis (quod sæpe & omnibus libris facit) in notis ad Panormitanum commendasset, subjicit: *Bohemi, apud quos multa plana, raras fossas invenias, equitatum, peditatumque omnem intra currus claudunt; in curribus vero quasi in mœnibus armatos collocant, qui missilibus hostem arceant, cum prælium committitur, ex curribus quasi duo cornua efficiunt, eaque pro multitudine pugnatorum, & loci necessitate explicant, retroque, & a lateribus tecti in frontem pugnant, interea paulatim aurigæ procedunt, hostiumque acies circumvenire, atque includere conantur; quo facto haud dubie victoriam parant, cum hostes undique feriantur. Est quoque plaustrorum compages ea arte composita, ut ad Imperatoris jussum, qua velit, & quando velit, aperiatur, sive ad fugam, sive ad insequendum hostes ratio postulaverit.* Hæc *Silvius*, quæ maximam lucem scriptoribus nostris dare possunt, cum prælia præsertim *Hussitarum*, & *Taboritarum* describunt, in *Austria, Ungaria, Moravia, Silesia*, ac potissimum in *Bohemia* adversus cruce signatos gesta; hoc illud est in Annalibus nostris: *exire e curribus, firmare catenis currus* (quod ad Austam non parvum ad victoriam scribitur attulisse monumentum) *currus literarum ad instar* (modo V. modo litteræ C. modo E. modo T. aliarumque ex Alphabeto) *conformare & disponere*, modo ad instar O. corrotundare; a curribus averti, intercipi, e curribus excuti (quod decretorio illo *Taboritarum*, & *Orebitarum* ad Brodam prælio, quo hæreticorum vis omnis fracta concidit, factum esse in historia narra-

Silvius comen. in dicta Alfonsi Magni in l. 4. v. 44. & in H. Boh. & in Epist. passim.

vi, cum ſtratagemate egregio Catholici Proceres ſimulata fuga hoſtes e curribus extraxiſſent, & viam, ne eosdem currus ſubire poſſent, intercepiſſent) ſimul intelligitur tota *Taboriticæ Civitatis* deſcriptio, quam Ziska *Taboritarum Imperator* ſic condi juſſit, ut ipſe exercitum inſtruxerat, & eum a quolibet ſignari, muniri, exſtrui locum, inarmatus in acie ſtetiſſet cum ſociis (quod ex alta editaque caſtri veteris turri contemplari jucundiſſimum mihi olim hæc ſcienti & conſideranti ſpectaculum videbatur) tum etiam illud, quod de *Ziſka* oculati *teſtes Lauda*, *&* *Drakonicius* ſcribunt, eum ſolum in medio exercitus curru ſublimem vehi inter *Praczata* (ita ordines & agmina vocabant) unde, quanquam cœcus, omnia mandata divideret, & alienis oculis ad locorum opportunitates vigilans, ubi acies explicanda foret, quam primam, quam ſecundam, quam tertiam aciem eſſe vellet, ubi caſtra locanda, quo ordine currus conformandi, doceret, ac præciperet. Cochlæus affirmat Ziskam ex illo ſublimi curruum ſuggeſtu tam grandi, & ſonora voce, quoties opus eſſet, intonuiſſe, ut Tabores Angelum de cælo miſſum, velut olim in monte Sinai loquentem, ſe audire crederent. Hæc ad univerſam Bohemorum militiam ſpectare videantur; & peditum Bohemorum in acie collocandorum peculiaris quædam ratio fuit, qui grandibus clypeis, etiam in ipſo prælio, per ordines tegebantur, ut quaſi ſemper in caſtris, & profecti pugnarent, difficilique hoſtium conatu peterentur, contra vero ii munitionum ſuarum, & viarum periti, quoties luberet, procurrerent; quod militiæ ſimulacrum *Ferdinando I*, poſtquam *Cæſar* factus eſſet, ediderunt

Lauda in MS. Drah. Equ. in MS hiſt ſui temporis.

Cochl. c. 9.

derunt *Pragenses* A. 1558. honori Regis sui terrifice ludentes, ut alio loco commemorabitur. Porro quoties publico consilio, & ab universa gente imperabatur militia (ut hoc ex antiquis moribus addam) duo præcipua vexilla ferebantur in acie: alterum idque *majus cum Leone albo coronato & bicaudato in sanguineo campo*, alterum minus, & quodammodo equestre, in, quo signum *Christi in cruce mortui* præferebatur (primum vexillum Regni universi in acie præferre *Illustrissimæ Stirpi Berkianæ* proprium fuisse, & hæreditarium comperio) hujusmodi duo militaria signa a Bohemis ex *Turcico bello* initio hujus sæculi redeuntibus relicta, Brunæ in Ecclesia *S. Ioannis Minorum* ante annos quadraginta in grandi armario, pone portam templi majorem, ipse spectavi. Illud quoque ad militiæ censum spectat, quod ex infima Bohemiæ antiquitate Theobaldus admonuit: majores nostros peditatum non in centurias, sed in sexagenas dividere solitos; atque ita cum in *Historia Bohemica* collecta peditum sex millia legimus; sex millia sexagenarum non centuriarum intelligi oportere. At equites *per lanceas* numerari, singulæ autem lanceæ, quatuor vel sex equites continebant; quare, cum *Cranzius* quatuor lancearum millia scribit, scriptores alii ac recte, sexdecim equitum millia fuisse scripserunt. Hæc *Theobaldus*, quæ *Cranzius* & *Herburtus* confirmant.

MS. Codex universit. Carol.

Vita Wilh. in Ros. ad An. 1566. & *Daczicky* in hist. MS. Cutnen.

in Huss. P. 3. C. 17.

Cranz L. 2. Vandal C. 6. Herbur L. 16. hist. Pol C. 8.

§ IV.

De Ducibus ac Regibus noſtris, fortitudine militari præſtantibus, qui per ſeipſos bella geſſerunt, & auctarunt Exercitus, breviſſima diſſertatio.

Nihil magnopere mirum eſt, Nobiles Bohemiæ, ut ſuo loco dicam, qui ſe Regum ſuorum exemplis usque ad inſaniam conformare gaudent, militiam coluiſſe, & ipſum populum Bohemiæ prioribus ſæculis totum fuiſſe militarem, cum Reges haberent ſummos bellatores, qui prælia gerere, & videre mallent, quam audire. Conſulant nuperum indiculum bellorum lectores (L. III Miſcell. in fine) & facile animadvertent, vix ullum noſtrorum Principum ſine bello a ſe geſto regnaſſe. Omittam brevitatis cauſa Duces, qui apud nos, nondum illata Evangelii luce, imperarunt; maxime Martiales extitere *inter Chriſtianos Principes Boleslaus Sævus*, qui annis 14 *Imperatori Ottoni*, magno a rebus geſtis, Bohemiam armis petenti reſtitit, & ab eo conditiones pacis ſibi, ſuæque genti glorioſas accepit; deſcribit iſta *Witikindus* Saxo, *Ottoni* a ſacris, qui ſtantem in armis ſub vexillo *Boleslaum*, ejusque intrepidum animum egregie commendat; magnum fuiſſe neceſſe eſt Principem, qui magno commiſſus, tam magnum æmulum fatigare, & ſuſtinere tot annos potuerit. De bellicis ejus virtutibus plura in *Epitome hiſtorica* diximus. Obſervatu dignum eſt, Boleslaum a vetuſtis Scriptoribus *Bohemiæ Regem*, nec aliter appellari: *Witikindus*, *Frodoardus*, *Urſpergenſis*, quod miratur *Meibomius*. *Maximus bello Princeps* in hiſtoriis noſtris habendus eſt *Bohemiæ Princeps Udalricus*, ut alia taceam, quæ de eo noſtri

Witik. de orig. Saxon.

Meimb. in notis ad Witkind.

nostri, & vicissim scriptores referunt; is est, Qui *Geronem Lusatiæ Marchionem, Slavorum hostem,* in prælio occidit, qui *Messiconem* Poloniæ Ducis filium (Miesconem aliis) in prælio cepit (Ulrici literas ad Imperatorem, factum excusantis, recitat in Originibus *Fabricius*) qui, cum ab *Henrico Cæsare* cæsi essent *Bohemi*, octingentis amissis, brevi cladem illam restituit, *reportata ingenti* de *Saxonibus* victoria (verba Fabricii Saxonis recito) *Ulrico Duce Bohemorum ipsomet primo aciem ducente, ceciderunt e Saxonibus clarissimi quique viri: de Polonis Moravia* exactis, & *Conrado Cæsare Udalrici auspiciis represso*, Epitome consulatur. Porro *Mieczislaum II. Poloniæ Regem*, qui A. 1034. decessit, captum a Bohemis, & (quod a patre ejus per fraudem evocatum *Boleslaum Bohemiæ Ducem* excœcatum meminerant) ignominiæ & ultionis causa, exsectum esse, *Veteres* quidam Scriptores tradunt; ex ejus injuriæ dolore mentem Mieczislao imminui cœpisse, apud *Cromerum* legimus; probabile mihi est, *Polonis Bohemos* vicem gerere voluisse, quorum fortasse consilio *Iaromirus*, ut in Epitome ostendi, fuerat eviratus, *Cromerus* fatetur a *Boleslao* Chrobrio Poloniæ Rege *Iaromirum* captum, Wrssoveciis (capitalibus Bohemorum hostibus) tradidisse, hoc tum igitur maleficium in filio vindicabant Bohemi.

Fabric. in Miscnis.

Cromer l.3.hist. Polon.

Fabric in Orig. Saxon. L.2. in Hen.II

Cromer l.3.hist. Polon.

Immortale præconium inter Principes nostros meretur *Brzetislaus I.* quem Achillem Bohemicum scriptores appellant; is adhuc adolescens amoris vitio, *Judithaw volentem e Cœnobio raptam* cum in equo ferret, essentque grandi ferrea catena Cœnobii postes obducti, stricto ense catena illa decumana per medium secta evasit, quam catenam diu in miraculum for-

Dubr. hist. B. L. 7. Silvius in hist. Boh.

fortitudinis servatam testantur historiæ; item *Brzecislaus Moravia Polonos ejecit*; *Ungariam* ad *Strigonium* usque pervastavit; *Polonicas* urbes *Wratislaviam*, *Bosnaniam*, *Gnesnam una æstate* imperata facere coegit (quodque reclamantibus licet Polonorum recentibus historicis) idoneis documentis, & veterum scriptorum authoritate probatum est. Polonis tributum pendendum A. 1038. imposuit, cujus postea loco *Bohemiæ Reges* aliquam *Silesiæ portionem a Polonis* accepe- runt, jam vero & Henricum III. Imperatorem cum exercitu ad fines Bohemiæ venientem magna edita strage fugavit A. 1040. Hactenus felix, at postea an. sequen. 1041. *Henrico* bellum reparante, & ad Pragam stante, pacem petere, & pretio emere coactus est, nimirum ut apud *Nonnium Varro canit*

Cosmas in Anal. in Epit. hist Mariani Scoti Chron. Strans. in Repub. B. C.8.§18. Witik. L. 3. Annal. Frodoardt ad A. 950. Ursperg in Chronicon. Meimb. in l. 3. Witik.

Neminem fortuna curru a carcere missum intimo,
Leve inoffensum per æquor candidum ad calcem tulit.

Wratislaus Princeps primus e Principibus nostris Rex (quanquam personalis illa fuit, ut ita loquar, ejus honoris collatio, & cum homine expiratura) eam dignitatem ob egregiam bello *Saxonico Henrico IV Imperatori* navatam operam adeptus est, eidemque electorum suffragiis in Conventu *Moguntino*, seu ut quidam volunt, *Herbipolensi*, auctarium regalis honoris *Lusatia* superior a Cæsare donata fuit; hunc pervastasse *Silesiam Polonicam*, *Guagninus* affirmat. Brzetislaus II. *Wratislai filius Poloniam* graviter id temporis adversantem Bohemis, ferro & igni late perpopulatus; quod fieri sine magno militiæ facinore non potuit.

Strans. c.8.§28 Guagn. in Boleslao audace. Strans. ibidem. Id. ibid.

Sed

Sed *Sobieslai* Principis nostri virtus omnia superat, qui *Lotharium* Imperatorem Saxonem A. 1126. maximo cum exercitu adventantem ad Chlumecium profligavit. Sunt qui Lotharium captum a Sobieslao, at mox, ut sibi Majestatem ejus vel in victoria conciliaret, prudentissimo consilio statim dimissum, & libertati suæ redditum, affirment; ego rem in medio relinquo. *Sobieslao fortuna Fridericum* objecit, comissoque acri prælio ad ipsos Duces pugna pervenit, *Fridericus* æmuli caput ense perstrinxit, ac sine dubio interemisset, nisi *Sobieslaum* equi pernicitas extra ictum posuisset. Pont. l.1.Boh Piæ.

Wladislai Regis virtutes bellicas omnia secula adorare convenit, hoc Duce *leonem* coronatum, de quo hujus capitis initio, Bohemi milites domum retulere; ille ad terram S. recuperandam cum *Henrico fratre*, & *Spitihnievo* agnato A. 1159. profectus, magnum in præliis rei christianæ attulit *momentum*; ac post annos complures etiam *Constantinopolitano Imperatori Manueli* pro Ungaris A. 1173. prælium obtulit, cumque tandem controversia amice diremta esset, affinitatem per suæ neptis *Helenæ* nuptias, *Manuele* petente, contraxit: quantos Wladislao eidem honores habuerit *græcus Imperator*, describit *Hagek*, cujus etiam Regis in Sedem Apostolicam studium, *Pessinæ* nostri *Phosphorus* pro eo, ac meretur, commendat. Strans. Cap. 8. Hag. ad A.1164.

Sed Ottogarus I. bellicosissimis Regibus debet accenseri, vide Hagek: vixit A. 1199. *Ottogari filius Wenceslaus*, *Austria*, *Cremsio*, usque ad *Ungariæ* fines vastatis A. 1236. *Viennam* tenuit, nec nisi viginti aureorum millibus, quos statim in aulicos insigni liberalitate divisit, acceptis Dubr. L. 16. Camp. in Thea. hist. Strans. c. 8 Reipub. B.

ceptis, recessit. Idem Fridericum Provinciæ Ducem ausum accurrere, semel iterumque fugavit, ac denique innumerabilem *Tartarorum* multitudinem ad Olomucium castris positis sedentem, ductore Jaroslao Sternbergio (cujus hodieque Illustrissimum genus in Bohemia superest) clade maxima, nocturno prælio illata, profligavit.

§ V.

Idem Argumentum de bellicosis Bohemiæ Regibus continuatur, potissimum de Ottogaro II. Bohemiæ Rege, ejusque de Ungaris victoriis contra Bonfinium, easque extenuantem.

De Przemyslai Ottogari II., cognomento victoriosi, militari virtute, & gloria multa dixi
Epit L. 3. c. 13 in *Epitome historica Regni Bohemiæ* pridem edita,
14. 15 pauca tamen de gloriosissimo Rege adferemus: constat imprimis, ab *Ottogaro decies, & sexies* collatis signis (ipso Rege pugnante) hostes campo depulsos, victoriam Ottogaro reliquisse, & tantum in extremo prælio, in quo cecidit, superatum esse, quo in genere felicitatis, & fortunæ Pompeji magni simillimus fuit, ut *Plutarchum* legenti apertissime patebit, ut nemo prorsus inter *Paralellas* ejusdem *Plutarchi* vitas aptius, quam *Ottogarus* cum *Pompejo* conferri possit. Examinavit, & probavit hasce Ottogari victorias, & ad extremum tragicam illius cædem ad lydium historiæ lapidem revocavit vir doctissimus *Ioannes Campanus*, cujus *Theses Historicæ*, uti & alia ejus opera dignissima sunt, quæ legantur. De *Prutenis*, seu *Borussis* a Rege devictis a nullo controversia, quod sciam,

mo-

movetur; ab illis *Victoriosi* cognomen (cum ante *Rex aureus* diceretur) reportavit *Ottogarus*. Atque, ut antiqui Imperatores *aras* in *finibus* gloriæ suæ, & victoriarum statuisse leguntur (hinc *aræ Alexandri*, *aræ Pompeji*, *aræ Cæsaris in Claudio Ptolomæo*) ita noster utiliore ad barbaros in officio tenendos consilio, urbes, & arces condidit, *Regio-Montum* præcipue, hodie pulcherrimam urbem, æternum virtutis suæ bellicæ documentum, statuit, addiditque gloriosam, veram tamen, & justam vocem, se inter duo *maria*, seu potius a *mari* ad *mare*, ut sacræ *literæ* loquuntur, Imperium armis protulisse, cum a mari *Adriatico* (ipse tum *Styriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*, & *portus Naonis* Dominus) *usque ad mare Balticum* cum exercitu, obviis omnibus proculcatis, penetrasset, & sibi Prussiam, quam postea *Crucigeris Teutonicis* donavit, subjecisset; retulit hanc justam Ottogari gloriationem in Annalibus Ecclesiasticis suis *Odoricus Raynaldus*, recitatque *Urbani IV.* ad eundem *Ottogarum* literas, quibus Regem a fidei ardore contra *Prussos*, & *Lituanos* mire commendat, simulque omnes eas terras, quas sibi armis subjecerit (nisi aliis Christianis Principibus subjectæ sint) donare se illi, disertis verbis profitetur. Eandem donationem Apostolicis literis A. 1267. *Clemens IV.* confirmat; quarum literarum principium est: *in tui magnificentia culminis* Mater Ecclesia quam plurimum *declaratur* &c. De celeberrima illa adversus *Ungaros Ottogari* victoria, magnam *Hagecio* movet litem *Bonfinius*, & cum ille ad *Teisam* fluvium centum sexaginta *Ungarorum* millia cæsa, submersa quatuordecim numerat, iste dubitat, an totus Belæ Regis exercitus tot

Camp. in Thesib. hist.

Dubr. in hist. Boh.

Tom 14 ad An. 1264. Urban. Lib. 3. Ep. 670

Clem. Lib. 3. Ep. 139.

Bonfin. f. 329.

Odor. Raynal. T. 14 annal. Ecc. ad An. 1620. Stero in Annal. l. 1260. in T. 1. antiq. lect. Henr. Canisii.

millibus constare potuerit; utut sit, victoriam clarissimam reportatam agnoscunt Historici. Henricus Stero Altahæ inferioris Monachus, utique religiosus, & coevus scriptor, cui derogari fides non potest, de bello Ungarico Ottogari hæc habet: *Ottakerus Rex Bohemiæ, & Dux Austriæ congregato valido exercitu, castrametatus est juxta fluvium Marcha; ibi cum Stephanus junior Rex Ungariæ ex altera parte fluminis sibi occurreret, cum exercitu suo transitum ei fluminis impedivit. Tandem post plures dies Ottaker Rex Bohemiæ pro commodo equorum, & hominum, volens ad superiores partes fluminis se transferre, Stephanus Rex putans ipsum velle fugere, insecutus est eum, & congressione facta apud villam, quæ Christenprunnen dicitur, victi sunt Ungari. Ubi Stephano Rege vulnerato, de parte sua plurimi, plures fugiendo, in flumine sunt submersi. Ex parte Ottakeri Regis multi ferro, & sub armis calore nimio perierunt; factum est enim hoc bellum feria 2da in die S. Margarethæ Virginis, æstu maximo existente*: & paulo post: *Ottakerus itaque Rex obtenta tali victoria progressus cum exercitu Ungariam, abinde post paucos dies sub quadam forma compositionis recedit, Ducatu Styriæ cum civitate Bittonia, quam adhuc Ungari tenebant, sibi plenarie restituto.* Hæc *Stero*, qui tunc vivebat. *Mathæus* quoque de *Pappenheim*, qui se vidisse, quæ gerebantur, affirmat, scriptor eorum temporum, maxima ab *Ottogaro Hungariæ* damna illata testatur, castra, & arces diruisse, *Posonium* urbem incendisse, aliaque ejusmodi. *Augustense Chronicon* coævi scriptoris anno uno duas Bohemorum de Ungaris ponit *Victorias*, alteram ad *Christenprunn die S. Margarethæ*, alteram post ad fluvium *Moravam*, ut mirum sit,

Papp. in hist. Austral. init. & ad An. 1290. Eadem habet Reynal. ad An. 1260. Chron S. Udal. & Afræ apud Fre-

hæc

hæc tam nota *Scriptoribus Bonfinium* negare potuisse. Paucis multa: *antiquissimum Chronicon Elvangense*: A. 1260. *Rex Bohemiæ cum Rege Ungarorum dimicat, & filium ejus & Regem cum manu capit.* Suspicor legendum, *Regem Cumanum*: de *Cumanis* consulantur *Annales Ungariæ* & Raynaldus. Quod autem *Campano* suspecta visa sit, de miraculis ante prælium editis, Hageciana narratio, hæresis, cui Campanus tum addictus erat, faciebat: malunt hujusmodi Farinæ homines malorum dæmonum ope patrata in historiis prodigia credere, *quam Divorum cum Christo in Cœlis* regnantium auxilia suis pugnantibus præstita confiteri, ac permirum est, *Campanum* negare potuisse, quidquam tale in *Epistola Regis* ad *Pontificem*, quam de hac victoria scripsit, inveniri, cum in vetustissimis, & prope ea tempora scriptis manu *Codicibus*, totam illam miraculorum narrationem ad Pontificem missam in *Archivo Pragensi* legamus, & *Hagecius* ipse eam se ex epistola Regis descripsisse significet; *Dubravii*, quod *Campanus* obtendit, silentium, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, aut deproperatione historiæ natum, tanti esse non debet, ut quæ *Dubravius* omisit, ea, a certis historicis tradita, in dubium revocare possimus. Sed peremptorie refellitur *Bonfinius ipsis Regis Ottogari* literis, quas in publica Europæ luce ad Alexandrum IV. Pontificem dedit A. 1260. quas in VII. *Miscellaneorum libro* recitavimus, ex *Chronico Francisci Pragensis Canonici descriptas*, ubi inter cætera diserte *Rex addit*: *quamvis Regnum Ungariæ nostræ ditioni possemus subjicere, & eandem Ungariam perpetua premere* servitute, tamen quod melius sit (NB.), bonum vicinum habere

herT. I. Chron. Elvan. a Freh. editum Tom. 14 Annal. ad An 1305.

Eandem literas habet Raynaldus in Annal. Eccles.

 con-

concordem, quam superare, & exterminare rebellem &c. *maluimus pacis fœdera reformare, quam vastando, & debilitando Ungariæ Regnum, ad illud, & ad nostra Regna Tartaris* (quibus his postremis sæculis successere Turcæ) *aditum aperire.* Prudentissima magni Regis observatio. Jam ad extremum *Ottogari* prælium, in quo fortissime pugnans, cecidit, veniamus, de quo hoc loco pauca, cum illud in *Epitome* late descripserimus, adferemus: causam hujus belli inter *Rudolphum & Ottogarum* nemo apertius, & sincerius explicuit, quam ex vetustis *Scriptoribus Eberhardus Ratisbonensis Archidiaconus,* & *Franciscus Pragensis Ecclesiæ Canonicus,* qui eo tempore vivebant; ex recentioribus, *Paulus Stansky,* & *Speculum Domus Austriacæ,* quod Authorem præfert *Birken,* quibus, quod addam, nihil habeo; proditionem intercessisse, & Regem a *Milota* (quem historia Styriæ diserte *Milotam Zawissium* de *Rosenberg* appellat) *Rudolpho* proditum, & venditum, scriptores omnes consentiunt: ajunt *Regem,* cum ei indicium proditionis, nescio quis suorum, fecisset, progressum esse in medium Procerum, quos ad se evocarat, & deducta veste Regia, nudato pectore ad Proceres circumstantes dixisse: *en me habetis, pectus aperio, ferite! melius est unum me perire, quam mecum in prælio tot millia fortissimorum militum cadere, & Regnum universum in cumulum ruere, & ab hostibus inter manus lacerari; certe mihi nihil optabilius esse arbitror, ut scelere proditorum potius, quam per ignaviam cadam!* quid responderint Proceres Regi suo, nullibi traditum inveni. *Milota* proditorum Princeps, ductor Polonorum auxiliariorum (quod postremum *Cromerus* negat) *Glacense* territorium

Memorabile dictum

Birken

Camp. in Thesib. hist.

um in proditionis præmium accepiſſe dicitur. Porro in caſtris *Rudolphi Tesseram* fuiſſe *Christi* nomen, apud *Ottogarum Budowecz Bracha*, *Eberdoferus*, & *Dornavius* ſcribunt; poſterior ſuſpicatur Ducem quendam fuiſſe ex *Illuſtri Budoweciorum* apud Bohemos familia, quem Rex honorare voluerit at amabo quid iſtud *Bracha* faciebat? ſi conjecturæ meæ aliquid deferre lectores velint: exiſtimo Regem, cum ſuos cedere vidiſſet, duas urbes munitas, quo ſe reciperent ex fuga, nominaſſe, aut inclamaſſe, *Budiegowicze*, ſeu *Budowecz*, aut *Pragam* peterent; eas voces, non bene intellectas ab adverſariis, habitas pro Teſſera militari. Quamvis vero proditione, ut dixi, res peracta ſit, tamen Regem deſertum ab ſuis fortiter pugnando in ſummum diſcrimen adduxiſſe Cæſarem, & pene victoriam ipſam e manibus extorſiſſe tradunt, licet poſtremo fatigatus ſuccubuerit, de quo verba nobiliſſimorum hominum Fuggeri, & noſtra ætate omnium eorum, qui ſpeculum *Gloriæ Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ* concinnarunt, & invictiſſimo *Cæſari Leopoldo I.* dicarunt, recitabo: Kein Zweifel iſt, wann er ohne dieſer Verräthereŋ geweſen wäre (loquitur de Milota, & de aliis quibusdam Proceribus, qui Rege pugnante aut otioſe ſteterunt, aut prorſus campum deſeruerunt, non dubia proditione) und wann die Mähren, da des Kaiſers Volck nunmehr ermüdet geweßen, hätten ſchlagen wollen, es wäre Ottokarn der Sieg zur Theil worden. Aber Gott hat es alſo geſchicket &c. quæ verba latine ſic reddi poſſunt: *nihil dubitandum eſt ſi proditio iſta* (loquitur de *Milota de Diedicz*, ſeu *Milota Zawiſſio* de *Roſenberg* equitatus Duce, qui pugnare noluit, ſuosque ſine prælio abdu-

Caſpar Dor. in Paneg. hiſt. Th. Eberd.

Spiegl der Ehr. L. 1. C. 2. ad An. 1278.

Spiegl der Ehr. l. 1. c. 15

xit) si inquam, proditio abfuisset, & Moravi, cum Cæsaris exercitus jam tandem defessus esset, pugnare voluissent, Ottogarum victoriam reportaturum fuisse. At Deus ita fieri voluit &c. Hæc ibi extremum adjicio: in hoc adversus Rudolphum bello, Regis *Ottogari* partes secutos, *Henricum Bavariæ Ducem*, *Svevicos Duces*, *Marchionem Badensem*, & *Comites Wirtembergenses*.

Dref. in Isag. histor.

§. VI.

Continuatur indiculus Regum nostrorum, qui acies ductarunt, & bella ipsi per sese gesserunt, præcipue Georgii Podiebradii adversus Bonfinium laudibus obtrectantem.

Benefs in Chro. l. 2. vide Chron. AulæR. ad An. 1322.

Joannes Rex Lucenburgicus bellicosissimus Regum nostrorum, aut bellicosissimis par habetur; paces ille ubique, ut in Epitome dixi, aut bella conficiebat, ut proverbio diceretur: *sine Rege Bohemiæ nec pacem, nec bellum fieri posse.* Omnia illum bella exercuerunt: *Prutenica*, *Polonica* (ubi arcem *Dobrinensem*, *Vladislaviam*, pluraque alia, & *Mazoviam Plocensem* in ditionem Bohemorum redegit; altero vero anno *Wissehradum Cujaviense*, *Naclum*, *Razianzum* occupavit) *Lithuanica*, *Bohemica* (in quibus contra *Reginam Conjugem*, & *Proceres* pugnavit) *Ungarica*, *Austriaca* (cum primus incepit prælium, & captum *Henricum Austriæ Ducem Friderici fratrem* non prius dimisit, quam obligationes quasdam Bohemorum Procerum imprudenter factas reciperet) *Bavarica*, *Italica*, *Saxonica*, *Misnica*, *Anglica*, in quorum *postremo* pro *Gallis* vel cæcus strenuissime dimicans, &

in

in confertissimos hostes temere incurrens, cecidit.

Caroli IV. juventus perpetua, & sat felici armorum tractatione *Davidi*, ætas reliqua ad senium *Salomoni* similis fuit. Italica ejus, *Joannis Patris* bella, caussas, vitia, modos, fortunam, victorias, amicitias Principum, nemo, quod sciam, diligentius tractavit, quam *Benessius Canonicus Pragensis* vir nobilissimus de gente *Weitmilia*, *Caroli* a pueritia comes libro IV Chronici sui, quam historiam dignissimam optarem, typis expressam lucem aliquando videre.

Benefs l.4. Mf.

De *Sigismundo* nihil scribere possum; nam etsi arma semper tractavit, tamen, ut observa Silvius, adversus *Turcas*, & *Bohemos* semper infeliciter gessit; ab his aliquoties, etsi centum millia armatorum duceret, cum ignominia militariter e Regno ejectus est.

Strans. c.8.§41. Bene s l. c. hron. Kebd. Hagek.

Georgio Podiebradio Rege Bohemiæ quis armorum peritior, & amantior e Regibus nostris fuit? felicitatem etiam, & gloriam immortalem, justi belli Comites, perpetuos habuisset, si pro religione pugnasset; nunc bellica ejus facinora una litura, iniquitas caussæ delevit: in *Misnia*, *Silesia*, *Moravia*, *Bohemia*, bella multa gessit feliciter; *Fridericum Imperatorem* a suis obsessum Viennæ libertati restituit: cumque maxima pars *Procerum Bohemorum* discessionem fecisset, & *Zdiencone Sternbergico affine Regis*, *Sanctæ ligæ*, ut vocabatur *Duce*, validissimæ cruce signatorum copiæ ex universa Germania collectæ, *Paulo II. Pontifice* A. 1465 & 1466. invitante & jubente, Bohemiam hostilem in modum intrassent, a Regio *Georgii* exercitu A. 1468 fusæ terga vertere. Jam *Ma-*

Strans. c.8.§47.

thias

thias Ungariæ Rex licet gener, quantis machinis, quam valido exercitu, quam nobili, (cum eum Catholici Proceres plerique, ac tota *Catholica Bohemiæ*, *Moraviæ*, *Silesiæ sequeretur Nobilitas*) & quantis auxiliis pugnabat? ut *Georgio* dejecto coronam eriperet? imo Regni cupiditate semel incensus, & in *Moravia Rex Bohemiæ* coronatus, *Silesiam*, & *Moraviam* in partibus habebat. Socer tamen nihil animo fractus aliquot *Mathiam* prœliis quanquam levibus A. 1467. & duobus sequentibus sic terruit, & fregit, ut quid potissimum ageret incertus, modo pacem præoptaret, modo bellum resumeret; ad *Lavam*, certe in *Austria*, pugnam detrectavit, cumque incaute postea *Bohemiam* ad *Wilemoviam* subiisset, ab *Georgio* intra ferreorum montium claustra ad pagum *Samiticzsi* conclusus, sine occidione exercitus effugere non poterat, nisi pace, & amicitia promissa, per *Albertum Kostkam*, *auro* vitam suam, & suorum emisset, indigna (quod aliis judicandum relinquimus) impostura, nam graves arena cistas auro desuper stravit, ut omnia aurum præferrent; at ubi ex angustiis in campum bellator dimissus est, abjurata omni amicitia deterior hostis evasit: misit caduceatorem *Georgius*, qui perfidiam exprobraret, quem turpissima defensione, sibique, ac suis ignominiosissima *Mathias* absolvit, cum diceret: (quod gravissimi *Scriptores* referunt) *nulli imposterum Ungarorum Georgius fidem haberet, nisi quem in fronte tres oculos præferre vidisset.* O dictum facto turpius! turpe fuit Duci, exercitum in angustias præcipitare! turpe bellanti, dum arma manibus tenet, vitam ab hoste auro pacisci! turpius imposturam facere! turpissimum,

Ms Cuttnense Nic. do Prachpian.

Regi

Regi datam fidem fallere! turpissimum, impo- 6.Com.
sturam sic defendere, ut se semper impostorem futurum, cui nihil insit fidei, significet! De singulari certamine, quod Mathiæ Regi Georgius Rex non semel obtulit, in Epitome nostra legitur. Facta *Podiebradii*, *Cardinalis Papiensis* copiose descripsit; de ejus bellica virtute luculentam testificationem habet *Æneas* in l. 1.
Silvius Commentario in dicta *Alfonsi magni Regis* N. 40.
Arragonum: apud Bohemos, inquit, *Podiebradum, apud Ungaros Huniadem*, apud *Albanos Scanderbegum*, apud *Teutones Albertum Marchionem Brandeburgicum*, meo judicio *Belli-Duces egregios existimes.* Laudanda etiam in hoste virtus est, eaque testificatio verior censetur, quippe, ut notavit in hujus libri scholiis *Iacobus Spiegelius*, Spiegel in hunc
acerrimus *Georgii Regis* hostis fuit *Silvius*, ne- Silvii
que id Georgius ignoravit, qui, audito Silvi- locum.
um obiisse, dixerit: *maximum Bohemorum hostem de medio esse sublatum.* Multa quoque de Georgii, in bellis adversus *Mathiam Regem* ge- l.26. &
stis, progressibus commemoravit *Cromerus*, quæ 27.hist.
omnia, & quidquid ad *Georgii* laudem, & *Cor-* Polon.
vini vituperium esset, flagitioso silentio prætermisit *Bonfinius*, Corvini in historia maximus *En-* Præfat.
comiastes, redemto fortassis a Mathia judicio, In hist. Bonfin.
& calamo, ut loquitur, quanquam *Ungarus*, ipse *Scriptor Ioannes Sambucus.*

Georgium qui sequuti sunt *Reges*: *Wladislaus* (cujus tamen initia aliquid bellicum habure, ut diximus in *Regibus*) & *Ludovicus* (qui inexpertus juventute, prælio se se ante tempus immiscens periit, relicto tristi Regibus exemplo) tum cæteri, *Ferdinandus I. Maximilianus II.* ac reliqui ad nos *Bohemiæ Reges*, multis bellis impliciti, minore cum Regnorum, & stirpis

suæ

ſuæ periculo, per Duces egregios bella ſat feliciter geſſerunt, quæ alii poſt me tractabunt. *Ferdinandus* tamen *III. Rex adhuc Bohemiæ*, ipſe præſens in acie ad *Nordlingam, Svecorum*, & *Vinarienſium Exercitum* magno bello devicit, ac poſtea jam *Imperator* in caſtris ad Egram contra *Svecos* ingentem alacritatem addidit, & velitationibus ſuorum fatigatos hoſtes coegit recedere.

Hactenus quædam, eaque pauciſſima, de Regum noſtrorum, ut ita dicam. martialitate, bellicisque virtutibus; ſuo loco plura; artem enim iſtam bellandi vetuſti Bohemiæ Reges velut ſibi propriam coluerunt; ac inde fortaſſis ortum habet, quod *Bohemiæ Reges* ad *Curiam* ſolennem ad *Comitia Imperii* proficiſcentes adventum ſuum, ex proximo flammis per viam excitatis, Imperatoribus ſignificare ſint ſoliti. Ita factum annotat vetus Chronicon A. 1370. *cum Wenceslaus Bohemiæ Rex poſt Patrem Carolum ad comitia Norinbergam veniret, more Majorum ſignum dediſſe collucentibus flammis.* Quanquam ſcriptor hic aliorſum rem trahit, videlicet: ob aquilam nigram in flammis volantem ſuper candidum Campum, qui gentilitius fuerit *veterum Bohemiæ Principum clypeus*: at nihil iſtud adverſus me facit, cum eadem res ex pluribus cauſis fieri poſſit, ac ſoleat, præſertim apud Reges, Principes.

§. VII.

De fortitudine militari veterum Bohemorum quædam generatim adferuntur.

Regibus bellicoſis percurſis, ad præſtantes bello Duces, ad Imperatores deſcendamus. Innume-

numeri ſe ſe offerunt e Bohemis, qui nomen & gloriam clariſſimorum Ducum æquarunt; in infinitum abirem, ſi proſequi omnes vellem. Sed laborem iſtum maxima in parte effugiam, cum enim de bohemica Nobilitate, ejusque originibus acturus ſim in ſequentibus, quoscunque ex Nobilitate præclaros Duces, ac milites adducere poſſem, in eam tractationem ſervabo: hic generatim præteritis fere nominibus ea breviſſime adferam, ex quibus militare genium noſtrorum hominum lectores perdiſcant. Imprimis totum vetus *Bohemiæ Regnum* militare fuit, nullamque aliam artem extra militiam profitebantur; artifices, & opifices omnes ad arma conſurgebant, & *equitatus* quidem ex nobilitate, *peditatus* ex civibus, & colonis legebantur; hac militia patria res maximæ geſtæ ſunt, quas in *Epitome* recenſui. Univerſum dici poteſt, quidquid gloriæ, & laurearum Duces, ac Reges noſtri ex bellis retulerunt, retulerunt autem plurimum, id omne cum fortiſſimis militibus ex gente noſtra, non enim niſi ſuos ad bella adhibebant, communicari oportere. Quantam vero militiæ Bohemicæ æſtimationem maximi Imperatores habuerint, teſtimonia, quæ libro III. Miſcellaneorum extremis capitibus adduximus (*Ottonum, Henricorum, Fridericorum, Maximiliani I.* &c) quæ hic repetere non vacat, omnes hi *Cæſares* pluresque alii *Bohemicam militiam* in ſtipendiis habuerunt, atque etiam in *terram ſanctam* deduxerunt; nonnulli vero ex Imperatoribus ſuo malo contemptum gentis ſenſerunt, ut *Lotharius Imperator* cæſus, & captus, cæſi item exercitus *Ludovici Imperatoris II.* & ſub jugum miſſi, fugati militariter ex acie *Conradus II.*

Hen-

Henricus II. Rudolphus Sveviæ Dux electus Imperator, Philippus, Albertus, Fridericus, Sigismundus, aliique. Ipsæ *mulieres* apud nos bella gesserunt, & *Amazonum* veterem gloriam æmulatæ sunt, quarum quinquennio gesta, *Cosmas* antiquissimus *Scriptor* multis descripsit. Possem genti nostræ aliquam ex bellicosissimis quibusdam *Slavorum* populis gloriam aucupari (nam sub *Slavico* nomine etiam Bohemia continetur) in *Polonorum, Croatorum, Cosaccorum, Bosniorum, Moscorum &c.* imo & *Turcarum*, siquidem præcipua Turcicæ militiæ capita, *Duces*, & *Bassæ*, quod facili negotio probare possum, ex *Slavicis gentibus* ortum habuere, habentque; certe *Janiczaros*, robur Turcicæ militiæ, *slavice loqui*, & ex captiva potissimum *Slavicarum* gentium juventute constare Cromerus affirmat, & linguam hanc Slavicam *Imperatoriam* in Aula Tyranni Turcici appellari (qui *Bibliothecam Vaticanam Romæ* edidit, testatur) sed nostra peregrinis confundere nolo, cum domi abundemus exemplis, pauca referam.

Cromer l.24.hist. Polon.

Enituit Bohemorum militum virtus A. 1462 in bello, quod adversus *Cæsarem Ludovicus Bavarus gessit*: nam cum adversam aciem *Achilles Germaniæ* dictus *Albertus Brandeburgicus* duceret, ante Bohemorum aciem progressus in medium *Wolffgangus de Schumburg, nobilissimæ in Imperio, & generosissimæ Stirpis Heros, bohemice milites allocutus, sic oratione sua incendit, ut furentibus similes, nihil socios morati, assultu primo primi ipsi Alberti currus, quibus aciem suam a fronte, & lateribus munierat, occuparint, & hostem cedere virtuti, & fugere compulerint, ut Cæsarum historia recens edita narrat. Mathiæ Hunniadæ*, seu *Corvini Ungariæ Regis* gloriam, & arma

Specul. gloriæ Austr. l.5.c.14

victricia

victricia nemo ignorat, quicunque *historiam Ungariæ*, *Austriæ*, *Bohemiæ*, ac vicinarum Provinciarum vel a limite salutarit; hic tantus Imperator, cum *Hradistium* A. 1498. obsideret, & in eam urbeculam præsidium e *Bohemis* lectissimis immisisset *Rex Georgius*, egressi aliquando obsessi, tanto impetu Mathiam in acie stantem, & jamjam ad oppugnationem processurum adorti sunt, ut non modo campo depulerint, sed (quod Mathias nunquam sibi contigisse ultro fatebatur) totum ejus exercitum, usque *Brodam* trium milliarium intervallo distantem fugere compulerint, eoque militari facinore obsidionem solverint, ut cum ad victoriam proficisci se crederet, repente se victum (nihil minus cogitans) & castris quasi momento exutum obstupesceret; laudavit hanc virtutem apud suos ipsemet *Mathias*, & exemplum hoc jubebat inspicere. Sed idem Mathias plurimum fiduciæ in *Bohemis*, qui ejus militiam sequebantur, habebat repositum; *Niger exercitus* vocabatur, fere ex Bohemis constans, *niger* ob vultus *colorem*, quod sub dio semper hibernare, ac æstivare solebant, æstu, & algore juxta obdurati, & assiduis militiæ laboribus obfirmati, ut nihil esset ita arduum, & difficile, quod expugnare non auderent; hujus exercitus viribus *Mathias* (ut ait *Bonfinius* & nuperi *Scriptores Austriaci*) maxima quæque gesta peregit, erant vero eorum aliquot millia, horum nigrorum virtute ausus est duobus *Regibus Bohemiæ*, & *Poloniæ*, qui multitudine *bis* superabant, ad Wratislaviam occurrere; *Ungarorum* consulantur *Annales*, & *Mathiæ Turcica*, *Bohemica*, *Polonica*, *Austriaca*, aliaque bella legantur; sed malam post Regis mortem gratiam un-

Bonfin. rer. Ung decad. 4 l. 9.

Specul. gloriæ Austr. l. 5. c. 41.

Bonfin. Dec. 4. L. 5. init.

Ungari hiſce *nigris militibus* retulerunt. Trn-
ka quidam, & Haugwicz (quem virum forti-
ſſimum, & maximo rei militaris uſu præditum
Bonfin. fuiſſe teſtatur Bonfinius) aliosque eorum *Nigro-*
Dec. 5. l. 2.&3. *rum* ex Bohemia Duces nominatos inveni; an
hic, an etiam alius fuerit Bohemorum exerci-
tus, qui ſub *Mathia* merebat ſtipendia, quos
in hiſtoria multis locis *Bonfinius Bohemorum* ex-
ercitum appellat, neſcio; erant cataphracti
omnes, aut, ut Bonfinius loquitur, *hippobaliſtæ*,
qui de iis conſulatur. A. 1476. *Friderico Im-*
Cromer 28. in *peratori Wladislaus quatuor Bohemornm millia* ſub-
fine. miſit, quibus ille perduellium in Auſtria mu-
nitiones occupavit, & ſuas, quas amiſerat, re-
cepit feliciter. Libentius exempla recenſeo,
quæ in Annalibus noſtris non leguntur. Cele-
bre eſt apud ſcriptores prælium A. 1504., quo
Maximiliani I. hoſtes ſunt proſtrati; cum ſoli
Bohemi (millia erant ſeptem, hoſtium alterum
& ter tantum) deſerti ab iis, pro quibus pugna-
bant, cum pauciſſimis equitibus diu ſuſtinuere
fretos numero hoſtes, & extremum non tam
Bonfin. virtute, quam multitudine (ut olim lacones)
Dec. 5. ſuperati ſunt; quorum virtutem Cæſar Maximi-
l. 6. lianus victor ſæpius laudare eſt ſolitus, ut in
Miech. Epitome diximus. Miechovius ejus temporis
hiſt.Pol ſcriptor rem non parum aliter narrat: Bohe-
l.4.c.84 morum quinque millia pro *Palatino* Rheni con-
ſcripta, *Maximiliani Cæſaris* omnibus copiis oppu-
gnantibus intrepide reſtitiſſe, multitudine deinde
ſuperatos, duo millia, & centum occiſos, ſep-
Crom. tingentos captos, reliquos fuga quæſiviſſe ſalu-
l.30.hiſt Polon. tem. Eadem habet *Cromerus*, eadem *Buntin-*
a.1504. *gus*; recentes, & diligentiſſimi Auſtriæ gentis
Burting in hiſt. Annales, *Auguſto Cæſari Leopoldo I.* dicati, plus
Brunſv. etiam ſua narratone laudis *Bohemiæ* genti con-
ciliant

ciliant: Bohemorum fuiſſe tria millia peditum, non ampius, equites nongentos, deſertos tamen a *Palatini* copiis, ſtrenue pugnaſſe, Ducum maxime hortationibus incenſos, quorum nomina, ne ſuum virtuti præconium deſit, adjicio: *Kolowrat*, *Sternberg*, *Borzkovicius*, *Lomnicius*, *Swihowius*, & Equeſtri genere ortus *Zeidlicius*. Ante id quoque pro *Philippo Palatino* Rheni adverſus eundem Cæſarem Maximilianum I. mille ducentos Bohemos a ſe conſcriptos adduxere fratres duo Germani *Guttenſteinii Comites*, quorum opera non parvæ res perfectæ ſunt, *Guttenſteiniis* præcipuæ virtutem ſuam Palatino approbantibus; ad extremum totum hoc bellum *Maximiliani* felicitas, & victoria finivit, ut dixi. Ex eo tempore virtutem Bohemorum in bellis admiratus *Maximilianus Imperator*, eosque ſui corporis cuſtodes adhibere cæpit, & *Helvetiorum* loco, quorum laudatur fidelitas, impoſterum habuit, ut teſtantur ſcriptores, quos libro III Miſcellaneorum citavi.

Neque commendatione ſua fraudandi ſunt illi, qui A. 1514 Bartholomæo Munſterbergio, & Boczkone de Kunſtat Ducibus, Leonis PapæX. cruce ſignatos exceperant armati, &c. Conſulantur temporum *Annales*. *Mathiæ Imperatoris*, *Ferdinandi II.* & *III. Leopoldi I. Cæſarum bella* plurimis e Bohemia, præcipue Nobilitati aditum ad militiæ gradus per virtutem ſtravere: enumeravi quosdam in Epitome; dicam hoc loco, quod *Quintilianus* de magnis oratoribus ſcripſit: *olim legentur*, *nunc intelliguntur*; potiſſima ratio eſt: quod antiquæ Bohemiæ, non hujus, quam videmus, ſtatum deſcribere, propoſitum mihi fuit, itaque e Bohemis omnes, qui noſtris, & Patrum temporibus *Cæſareæ*, *Svecicæ*, *Gallicæ*,

Hollan-

Hollandicæ, *Hispanicæ*, *Hassicæ*, *Saxonicæ militiæ* sese addixerunt, & *Magistratus* bellicos gesserunt, hac una excusatione prætereo; familias tantum nominabo ordine, quo memoriæ meæ senili sese offerunt, eosque tantum, qui præfecturas in militia gesserunt.

Ex majori Nobilitate Bohemiæ: *Felsii*, *Harantii*, magnis militiæ honoribus, & meritis perfuncti, *Hodiejowii*, *Hodicii*, *Svecicæ militiæ Præfecti*. *Kaplirzii* (ex quibus novimus Ducem strenuum, post peracta militiæ munia *Consilii bellici supremi* apud *Cæsarem assessorem*) *Krzinecii* (qui hodieque supersunt) *Lazansky*, *Miczanii*, *Mratskii* (cujus familiæ postremus in *prælio Jankoviensi periit*) *Kolowratii* complures, *Oppersdorfii*, *Burgravii de Dona complures*, *Raupowii*, *Raczinii*, *Rziczanii* complures, *Sagowii*, *Sternbergii*, *Stossii*, *Sslikii complures* (ex quibus *Henricus Generalis*, & *Consilii bellici Præses*) *Sleinicii*, *Trczæ*, *Iurnai complures*, *Waldsteinii complures* (*ex quibus Dux militari scientia*, & *artibus imperatoriis clarissimus Dux Fridlandiæ Albertus*) *Wartenbergii*, *Chinskii complures*, *Wratislawi*, *Weitmilii*, *Wrtbæi*, *Wrzezowecii* &c.

Ex Equestribus familiis orti, *Audriczkii*, *Benedæ*, *Brüssclii*, *Berzkovii*, *Binæi*, *Branæi*, *Bubnæi complures*, *Bukowanskii*, *Bukowskii*, *Balbini complures* (*quorum unum commilitonem charissimum habuit Generalis Harantius*, & *multa mihi de ejus virtute militari commemoravit*) *Czabeliczkii complures*, *Czeycæ complures*, *Chanowskii complures*, *ex quibus nunc Pincernæ hæreditarii in Ducatu Wirtenbergensi*) *Daupovecii*, *Dobrzenskii complures*, *Dobalskii*, *Gerstorfii*, *Gezovskii*, *Haugvicii*, *Hysrlæ*, *Ianovskii*, & *Kapaunii complures*, *Kumburgii*, *Lukavecii*, *Lapaczkii*, *Myslikii*, *Malovecii*, *Materuæ*,

Mitrov-

Mitrowskii, *Pecingarii*, *Pietipeskii*, *Przichowskii* complures (*quos inter Carolus in prælio Nordlingano, Croatarum strenuus Ductor, & Pragæ a Svecis obsessæ defensor*) *Raczinii* (*ex quibus Hassicæ militiæ Ductor cautissimus*) *Rohmhauptii* (*unius ex his effigiem in equo sedentis æri incisam cum titulo servatoris Hollandiæ, adjectis Hollandicis versibus, nuper oblatam spectavi*) *Sekercæ*, *Swarowæ*, *Summerfeldii*, *Woraczic zkii*, *Wrabskii*, *Wrzesowecii*, *Zakawæ*, & cæteri quos memoria non sustinet, plerosque mihi de facie notos; his adjice nonnullos, qui ex tenui fortuna per multos militiæ gradus ascenderunt. Porro de his omnibusque, quos modo nominavi, illustria belli facinora a militibus & ducibus fide dignissimis commemorata audivi, quæ longum, & tædiosum esset repetere.

Redeo ad vetustiora nostrorum hominum bello parta decora: *Ungaria*, ex quo illam Turcæ appetiêre armis, & sedem belli fecere, plurimum *Bohemici sanguinis exhausit*: *Sigismundi*, *Ladislai*, *&* *Wladislai*, *Ludovici*, *Ferdinandi*, *Maximiliani*, *&* *Rudolphi*, bella legantur: jam receptum erat, sex millia peditum, equitum bis mille, quæ copiæ Regni sumptibus alerentur, Ducibus per comitia nominatis, & creato, qui militi diligenter stipendia numeraret, Præfecto, in Ungariam militaturos ablegare, adeo, ut indecorum prope iis temporibus *Nobilitati* haberetur adversus *Turcas* non militasse, stipendiis aliquot (minimum tribus) in Ungaria equo factis, tum primum, non ante de conjugio Nobilibus cogitare licebat, sed de nostrorum hominum in Ungaria militari fortitudine pluscula §. ab hinc altero memorabo.

§. VIII.

De Giskra, cæterisque in Ungaria Bohemis ducibus, qui Ladislao pupillo Alberti Cæsaris filio ab Ungaris coronato Regnum Hungariæ, quod totum ad Wladislaum Polonum defecerat, bellica virtute, usque dum adolesceret infans, conservarunt.

Quæ mala olim *Hunni, sæva* gens, & immitis, barbara, & nondum christianis sacris initiata prædandi studio *Bohemiæ* intulit, *Boleslao S. Wenceslai fratre* apud nos regnante, ea post 400, pluresque annos *Bohemi* Ungariæ reddiderunt *fidei amore*, quam pupillo Ladislao posthumo debebant: laudat hanc bellicam fidem *Speculum* nuperum *Gloriæ Austriacæ*, qua in obsequio pueri Regis, Giskra, ac Telepho Rziczanio, cæterisque Bohemorum Ducibus, Ungariæ magnam partem retinuere, ac profecto æterna memoria digni forent, nisi post obitum *Ladislai*, causa jam mutata, quidam eorum legitimum *Regem* *Corvinum* agnoscere nolentes, *Prædatorum* potius, quam Ducum nomen meruissent. Agit de his rebus diligenter *Bonfinius*, quamquam nimis certum est Bonfinium legentibus, cum in *Mathiæ Corvini* gesta incidit, non tam historiam, quam panegyricum texere; bona fortuna fecit, ut suos *Annales* non sub Corvino, sed primum sub *Wladislao Ungariæ & Bohemiæ Rege* perficere, & in lucem proferre potuerit, repressit enim aliquantum laudationes *Corvini* *Wladislai* præsentia, cui *Bonfinius*, decades suas offerebat, & ad veritatis sacram lineam reduxit. Agnoscunt hanc in gratiam *Regis Mathiæ* styli, & veritatis servitutem, ut nuper dixi, Ungari-

[Margin: Decad. 3. L. 10.]

ci

ci quoque candidioris judicii ſcriptores, ut *clariſſimus*, *& doctiſſimus vir Joannes Sambucus* in præfatione ad Maximilianum II. Cæſarem, quam editioni ſuæ Bonfinianæ præfixit.

Joannis Giskræ (*quem aliqui Georgium Giskra appellant*, ſed is frater Joannis erat) militares virtutes etiam apud hoſtes & hiſtoricos, noſtrarum, & adverſarum partium, præconium invenerunt, & meruerunt: hic prope unicus (quidquid ageret Wladislaus Polonus, quidquid invictus alias *Joannes Hunniades* ille Turcarum terror, quidquid univerſa Ungaria) *Coronam, & Regnum Ungariæ Ladislao Auſtriaco* poſthumo infanti, & puero conſervavit. Bohemum natione fuiſſe omnes conſentiunt: de genere aliqua controverſia eſt, ſed levis. *Bonfinius* eum *nobili Brandorum genere* natum affirmat, *Bohemi ſcriptores* (qui meliorem *Nobilitatis Bohemiæ* notitiam habuerunt) ex civium ordine, imo & ex oppidanis natum ſcripſere, eſtque hodie oppidum ad fluvium Aquilam (*Brandeis* nomine in *Regione Chrudimenſi*) quod tanti viri ortu ex traditione majorum gloriatur; unde viro cognomen *Giskra de Brandeis*; ab infimo militiæ gradu aſcendit ad ſumma, virtute magis, quam nobilitate nobilitatus: *Clypeus* illi gentilitius quadripartitus: in parte dextera leo aureus in nigro campo, ſubtus ruber campus, per quem duæ albæ lineæ transverſim ducuntur, eadem omnia in altera Clypei parte, niſi quod linæ ſuperne, at leo infra lineas ſpectatur. Senſus eſt quorundam (id quod ego nec refello, nec probo) *Illuſtriſſimam comitum Brandiſiorum familiam illuſtri* huic viro originem debere: utut ſit, magnæ gloriæ argumentum eſt, hunc originarium ſtirpis agnoſcere, tanta enim

Bonfin. Decad. 3. L. 4. hiſtor. Ungar. ad Regem Wladi.

Speculum Auſtriacæ Domus L. 5. c. 1.

Slavat. Cancel. in Apolog.

fuere herois decora, ut historicorum manus fatigare potuerint; vide, quantis encomiis bellicam ejus virtutem, felicitatem, & gloriam prosequantur nuperi Austriacæ gloriæ descriptores, cujus etiam effigiem *Ladislaum Regem* suum parvulum adorantis, æri incisam obtulerunt. *Bonfinius* ob Hunniadum stirpem iniquior visus est *Giskræ*, fuisse virum tamen impigrum & fortem, assiduisque bellis exercitatissimum ultro fatetur, cui *Elisabeth Regina, Ladislai Mater* vidua *Zolium oppidum* regale in *Ungaria* dono dederit. *Cromerus* Author est *Giskram* cum quatuor tantum suorum millibus non recusasse oblatum ab *Joanne Corvino*, seu *Hunniade* (quanto Imperatore!) prælium, cumque quatuordecim millia numerantem non campo modo depulisse, sed etiam cæsum fugasse. Paucos sed lectissimos Giskra ductabat milites, & memini, in probato eorum temporum scriptore legisse: provocasse non semel *Hunniadem*, si placeret virtutem suam ac suorum experiri, venturum se cum decem millibus, quo vellet; haberet *Hunniades* etiam triginta millia, pugnandi copiam se facturum; fatetur *Bonfinius*, *Joannem Corvinum* a Giskra insigni clade fugatum, ejusdem alterum adversus Corvinum prælium, alteramque victoriam a. 1451, partam, alibi late describit. Historiam, de sex loculis, ei a puero *Rege Ladislao* datis, & Giskra vulnera ostentante, orationem militarem a veterano duce grandibus lacrimis distinctam ad puerum, idem Bonfinius aliique plures historici recitant, quam alteri loco servamus. Nec modo a *Giskra Ungaros*, sed & *Polonos* fugatos, magnisque cladibus & incommodis affectos & *Cromerus & Bonfinius* testantur, *Telephus* & ipse *Bohemus*

L. 5. c. 1 & c. 13. & 14.

Bonfin. L. cit.

Decad. 3. L. 7.

Bonfin. Decad. Lib. 5. init.

Valer. Max. Bohemiæ.

Speculum

Bohemus (ex illustrissima stirpe Baronum de Rziczau) *vicariam Giskræ* in bellis operam præstabat, *Cassaviensis urbis Præfectus.* Sed Giskræ, tanta in iis oris bellica virtute parta, authoritas fuit, ut non privati alicujus ducis, sed reguli instar haberetur. An. 1458 venisse *Joannem Giskram ex Ungaria,* mediumque se paci obtulisse inter *Poloniæ Regem, & Prutenos crucigeros, Cromerus* commemorat. Maximam vitæ partem pro Austriacis principibus, pupillo in primis *Ladislao,* militando consumpsit, cui etiam *urbis Viennensis Præfecturam Fridericus III. Imperator* detulit: in eorundem principum obsequio strenue pugnans cecidit *Heros* inclytus an. 1462 jam senior, cum desertus a sociis fugere non vellet, atque etiam nescire videretur. Prudentissimam *Giskræ epistolam ad Ungariæ Regem Mathiam Hunniadem* recitat *Bonfinius,* qua reprehensiones omnes & quidquid ab adversariis objiciebatur, egregie diluit, tantumque illa epistola apud *Mathiam* pondus habuit, ut dubia Martis alea & consilio belli omisso, in amicorum numerum *Giskram* reciperet, *Lippa* & *Solio* civitatibus confirmatis, & donativo, viginti quinque aureorum millibus, honoraret. Ejusdem Giskræ celebres nuptias & *Joannis Orzag,* inter *Ungariæ* Proceres clari, affinitatem commemorat ibidem Bonfinius. Erat *Giskræ* frater *Georgius,* magnæ & ipse authoritatis, & præstans virtute bellica, sed longe gloria inferior. Fuere etiam alii Bohemorum, id temporis Ungariam superiorem totam obtinentium Duces: ut *Komorowsky, Walgatha, Axamit, Audrczky, Svehla Franciscus,* qui annis octo supra viginti ab Ungaris exstirpari non potuerunt, quamquam *Axamitum Ungaricum dominum* fuisse dicat *Theobaldus.*

hono- ris Domus Austr.

Æneas Silvius in hist. Bohe.

Crom. L. 21. 22. 24. histor. Polon.

Bonfin. L. cit. & L. 6.

Decad. 3. L. 10. rerum Ungar.

Th. P. 2. C. 8.

dus. *Svehlam* virum bellicoſum appellat Michael Ritius, ideoque inter laudes & titulos *Mathiæ Regis* non poſtremum ponit, quod *Svehlam*, & *Fridericum Romanorum Regem* acie ſuperavit: indigniſſime *Svehlam Imperatori Friderico* præponit *Ritius Imperatori* ſemper adverſus, ſed *Svehlam* vincere, in laude maxima equidem non poſuerim, cum eum *Mathias* numero militum ter, aut etiam quater ſuperaret. Joannes de Witowicz Bohemus, inclytus bello Dux, ob militandi ſcientiam ſuccenturiari *Giskræ* poſſet, niſi inconſtantia, & animi quædam levitas aliquam gloriæ ejus maculam inuſſiſſet: militavit ille primum *Ulrico Ciliciæ Comiti*, & adverſus *Ferdinandum III. Cæſarem* copias duxit, *Ulrico* otioſo. *Fridericus Cæſar* ſtrenuum Ducem, honore & pretio ad ſuas partes attraxit, oblato etiam Baronis de *Sternberg in Carinthia titulo*, qui, ut ſe *Cæſari* probaret, munitiſſimam & præcipuam Regionis arcem *Obercilenſem* recuperavit, at paulo poſt, ut apud *Regem Ladislaum* gratiam iniret, ipſi Cæſari capiendo ſtruxit inſidias. Reconciliatus *Cæſari* pro eo, a civibus ſuis Viennæ obſeſſo, liberando omnem operam contulit, cum in *Styria*, *Carinthia*, *Corniolia delectus* fierent, *Vitovecius exercitus Dux* omnibus virtuti ejus concedentibus evaſit. *Cæſare* liberato Dux ejus fuit, cum Turcis multa prælia geſſit, tandem, multitudine eorum ſuperante, *Turcis* aliquot prius orco immolatis non inultus, ut ſtrenuum decebat, in prælio aliquando occubuit. Ferebat Clypeum, quem *Cæſar* dederat in rubro campo *tres vertagos, ſeu venaticos canes currentes*, nobilitatem, quam a majoribus non acceperat, ſibi ipſe peperit virtute. *Blaskouem ſeu Blaſium* egregium bello *Ducem* fuiſſe, vel id oſtendit, quod

L. 2. de Regibus Ungar.

Specul. Gloriæ Auſtr.

Specul. Gloriæ Auſtr. L. 5. C. 10. 15. 41.

Abrah. Bakſchay in

quod *Tirnaviam* an. 1401 clam intraret, viribusque militum suorum fretus, cæsa haud parva civium multitudine, in potestatem suam tantam urbem redegerit. Chronolog. Regum Ungar.

§. IX.

Quam bene merita semper fuerit de Regno Ungariæ Bohemia, quantaque auxilia pecuniæ, virorum & armorum attulerit, generatim describitur.

Multi, ait *Weleslavinus*, *prudentissimi, & rerum publicarum nostrarum scientissimi viri hodie dubitant, an tanti Regnum Ungariæ, si venale prostaret, valere possit, quantum ad id adversus Turcas servandum, Bohemia pecuniæ & militis contulerit.* Weles. præf. 2. ad Silvium Cutheni. In eandem *sententiam Henelius de sua Silesia: Regni Ungariæ tutela, quanti a Silesiis* vel nupero *quindecennali bello sint impensi sumptus, si quis universim computare velit, plures auri myriadas reperturus est, quam multorum opinio assequetur.* Henel. in Silesiogr. F. 9. Aliqua (nam omnia referre labor infinitus foret) in exemplum adferemus, ut suum liberalitati & beneficentiæ pretium & præconium constet.

Adferamus primo pecuniaria Bohemorum auxilia, quæ tanta profecto fuerunt, ut si quid *Bohemia Ungariæ debeat* (consulto id adjicio, ob contractum *Wladislai* cum Mathia Hunniade) jam pridem deletum sit, & suam quantulamcunque conservationem, subsidiis Bohemicis magna ex parte *Ungariam* adscribere oporteat. Ferdinandus I. toto prope Regni sui tempore ab *ordinibus in Ungarica bella*, in comitiis Bohemorum multa millia impetravit, & Viennam misit, qui strenue cum cæteris locum sibi

aſſignatum adverſus Turcas propugnarunt. In comitiis Bohemiæ eodem anno decretum eſt, ut qui in Bohemia mille ſexagenas groſſorum Bohemicorum haberet, quinque pedites, qui decem millia ſexagenas groſſorum Bohemicorum, quatuor Equites ſcriberet, quod factum eſt, ut affirmat *Cancellarius Slavata. Anno ſequenti* 1530 promiſerunt, celebratis *Pragæ comitiis,* in ſubſidium Regi adverſus Turcas quinquaginta millia ſexagenarum groſſorum Bohemicorum, duas partes iſtius ſummæ ſuſcepit in ſe nobilitas; reliquam partem civitates Regiæ perſolvêre.

Slavata ad A. 1529.

Idem Slavata. Anno 1531 trecenta millia florenorum Rhenenſium Regi ſuo ordines numerarunt in bellum Turcicum impendenda.

Anno 1532 omnes comitiorum articuli, in ordinanda Bohemica militia, quam contra *Turcas* miſêre, conſumuntur. Equiti gravis armaturæ, ſolvebantur per menſem decem floreni Rhenenſes, quorum quilibet 24 groſſos Bohemicos conficiebat, Equiti levis armaturæ ſex floreni, pediti per menſem tres floreni numerabantur.

Idem. Annis ſequentibus uſque ad 1438 maximæ pecuniæ in bellum Ungaricum in comitiis decernuntur, & Regi mittuntur, inſuper duo millia Eqitum, ſex millia peditum, generalis Dux militiæ hujus ab ordinibus electus, *D. Zdislaus Berka, ſupremus Regni Præfectus, peditum vero Wenceslaus Pietipesky, Equitum Zbignæus Berka*: quæ ab hoc exercitu geſta ſint, eorum temporum conſulantur annales.

Idem. Anno 1542 in comitiis ſtatuitur, ut pro auxilio *Ungariæ* ex mille ſexagenis octo ſexagenæ ab omnibus Bohemiæ incolis pendantur.

Anno

Anno 1544 ex mille sexagenis, septem dantur Regi pro conscribendis militibus in Ungariam ituris, tria millia Equitum levis armaturæ, cataphracti quingenti, quingenti pedites ad sex menses in *Ungaria* a Regno alendi designantur, quorum præcipui Duces, *Carolus de Zerotin, & Wotik de Bubna, Generalis vero Leonardus Fels* nominantur, separatim pro *Comorino* muniendo promittunt Bohemiæ ordines octo millia sexagenarum. Idem.

Anno 1545 decretum in comitiis, ut ex mille sexagenis in bellum Ungaricum Regi duodecim sexagenæ pendantur. Quod si *Cæsar ipse, aut Rex Maximilianus filius in Ungaria* ad castra perrexerit, ex duobus millibus sexagenarum, equum & equitem cataphractum daturos promittunt. *Paria omnia sequentibus annis* in comitiis decreta, usque ad an. 1551, ex mille sexagenis grossorum pragensium unus eques & quatuor pedites per Bohemiam conscribendi imperabantur, conscripti propere in Ungariam missi sunt magno operæ pretio, cum in *Transsilvania bellum* gereretur. Idem. Vita Wilhelmi de Rosis MS.

Anno sequenti 1552 comitiis habitis in præsentia Regiæ Majestatis, ex mille sexagenis grossorum Bohemicorum duodecim sexagenæ pro auxilio *Ungariæ* a Dominis æque, ac subditis, proportione servata capitalium, imperantur. Slavat. in MS. & vita Wilh. Rosens. MS.

Anno 1553 ordines in comitiis in bellum Turcicum promittunt, ex mille sexagenis grossorum Bohemicorum daturos se duodecim sexagenas, legatus ad *comitia regni* fuit *Ferdinandus Archidux, Ferdinandi I. Cæsaris* ac *Regis* filius, deinde decretum est, ut si necessitas major instaret, ex duobus millibus sexagenarum Ibidem Slavat.

ſcriberetur unus eques, & quatuor pedites, & octo equitibus ſemper adeſſet perſona equeſtris, vel baronalis, quod ſi major adhuc immineret neceſſitas, expeditio hæc bis geminaretur, Rex autem obligatus eſſet, pulveres, machinas, globos, currus, & cætera arma comparare. Addunt diſerte ordines: *hæc in exemplum trahi non debere, fieri hæc libere, & ſpontanee ex amore vicinæ Ungariæ periclitantis, tum pro ſalute chriſtianæ Reipublicæ, & ſecuritate Provinciarum ſuæ Majeſtatis.*

Vita Wilhelmi MS. Anno 1554 indicta contra Turcas contributio, filio *Ferdinando* comitiis præſidente; ex mille ſexagenis groſſorum Bohemicorum, quinque ſexagenæ pendantur, at ſubditi ex mille ſexagenis tres ſexagenas exſolvant, item in tres annos ex quovis quadrante vaſis (čtwrt wěrtele dicimus) cereviſiæ hordeaceæ duo albi nummi, qua ratione ex duobus ſexagenarum millibus, eques unus, & quatuor pedites conſcripti, e Bohemia in Ungariam ſunt deducti.

Slavat. Ibid. Anno 1556 *Bohemorum exercitum Henricus de Plaun Regni cancellarius in Ungariam* ducit, *Sigethum* defendit, & Berglerbegum cum ignominia coegit recedere.

Idem. Anno 1557 ordines Bohemiæ promittunt, ex mille ſexagenis groſſorum Bohemicorum ſe duodecim numeraturos.

Slavat. ibid. Stabat hoc anno iterum in Ungaria Bohemorum exercitus, cujus dux minor, nomine Jablonsky (ultimus generoſæ ſuæ ſtirpis qui plenus gloria ad *S. Ægidium Pragæ* humatus eſt) *Turcas* aggreſſus eſt, aliquot eorum millia occidit, quem exercitum alendum *ordines Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & Luſatiæ* ſibi ſumpſerunt, ut eſt in articulis *Comitiorum*, hoc anno

die

die lunæ post Dominicam *Oculi* Pragæ celebratorum.

Anno 1558 mitescentibus bellis ex mille sexagenis sex imperatæ, & comitiorum Regni decreto numeratæ sunt. Welesl. ad 2. Jan.

Anno 1562 in comitiis 4 Januarii *Ferdinando I.* præsente celebratis pro *Ungaria*, ex mille sexagenis duodecim sexagenæ promittuntur, & ex quovis subdito ad certos annos viginti grossos Domini se numeraturos promittunt.

Anno 1567 cum Turcæ maximis copiis Ungariam invasissent, decreto comitiorum trigesimus quisque ex Bohemia in bellum Turcicum mittitur. Slavat. ad an. 1571. Weles. Brzezan in vita Wilh. de Rosis.

Hæc fere sunt, quæ sub Ferdinando I. auxilia militum Ungaris Bohemi submisêre, quæ obiter ex adversariis meis annotavi, multa etiam præterivi, quæ in capitibus de comitiis longe diligentius, & ordinatius attulimus.

Omittere non possum annum 1594, quo ex *Bohemia in Ungariam* insignis numero, & virtute exercitus missus est. *Decimus* scilicet ex *subditis* omnibus Bohemiæ, *octavus ex civibus*, lustrati sunt *Znoymæ*. Sed non advenere omnes in tempore: inventa sunt viginti duo millia peditum, duo millia equitum. Exercitus hujus *Imperator* nominatus a comitiis *Petrus Vok de Rosenberg*, *ejus locum tenens* seu *Vicarius*, *Melchior Reder Dux veteranus*, & felix, militiæ peritissimus, supremus *Marescallus Wenceslaus Berka vexillum Regni* primarium, sub quo *Imperator* totius exercitus in medio solebat consistere, gestabat, quod vexillum utraque parte *Leonem* candidum bicaudatum in sanguineo campo cum unguibus aureis coronatum exhibebat. *Supremi* MS. histor. Cuttnensis.

mi Marescalli vexillum Christum crucifixum parte una habebat depictum, & altera parte *Dei matrem cum Jesu puero*, reliqua vexilla erant legionum singularium, quæ describit, qui in eodem exercitu militabat, *Dacziczky de Hesslowa Cuttnensis.*

Hoc exercitu Commorovium vel Commorra defensa est, Turcæque feliciter rejecti. Recensitis, quanta fieri potuit brevitate, quibusdam pecuniariis auxiliis, pro Ungarici Regni conservatione ab *Ordinibus Bohemiæ* expensis, jam de Bohemorum ipsorum fortitudine in bellis Ungaricis probata, aliquid dicendum superest, ut quantum Bohemici sanguinis pro Ungaria profusum sit, legentes conjecturam facere possint. Ad *primam Turcarum in Ungariam* irruptionem primi se Ungaris sociarunt, & suppetias tulerunt Bohemi, itaque jam sub *Sigismundo Rege ac Cæsare* ab anno 1437 in *Ungariam* milites Bohemi mittebantur: quidquid erat in patria bellicæ juventutis, quam domi ob turbulenta, factiosa, & sediciosa ingenia timere poterat Sigismundus, conscribebat *Imperator*, ut vel vincentes, vel mortui prodessent. Ea bella sub *Sigismundo*, sub *Alberto*, *Ladislao*, *Wladislao*, & *Ludovico*, qui res *Ungaricas* tractarunt, describunt, ego pauca quædam, ut temere in adversariis meis invenio, annotavi: *triste virtutis suæ specimen in Ungaria Poloni*, & Bohemi milites edidere, quod verbis Miechowii brevissime explicabo: *Joannes Hunniades Turcicam* ingressus ab hostibus cinctus effugit; pauci *Poloni & Bohemi* in castris remanentes a mane ad meridiem sese tutabantur, tandem ad extremum victi, fere ad 15 millia sunt occisi. Admirandam *Bohemi militis* cujusdam virtutem, & in

Miech. L. 4. C. 65. hist. Pol.

in Deum fidem (quamplurimi scriptores commemorant, & *Pater Julius Codurius* noster, editis *Pragæ Heroum spectaculis* celebris, Poemate celebravit) esse oportuit, qui cum *Alba regalis, Ungariæ clara civitas,* summa vi a Turcis oppugnaretur, jam *Vexillifero Turcarum, vexillum Turcicum* in mœnibus statuenten, unus ipse hominem invasit, cumque Turca Bohemum complexus sineret se e mœnibus dejici, miles christianus præsentem tum beatum Joannem Capistranum ex loco inferiore luctam spectantem, alta voce interpellat: an cœlum sperare posset, si *Turcam ex mœnibus dejiceret, atque ipse una caderet. Respondente beato Capistrano, cœlum pro eo facinore consecuturum, momento in subjectam vallem Turcam secum præcipitavit,* & super eum cadens oppressit, victoriæ suæ immortuus. O facinus ipsis barbaris admirandum!

Dubr. L. 30. Histor. Boh. Julius Codur. in Heroibus. Paulus Jovius L. 36. Histor. Epitome nostra histor.

Anno 1492 *Cromerus* narrat, cum *Turcæ* per *Ungariam* impune grassarentur, jam *Sabatiam* obsiderent, virtute *Bohemorum & Ungarorum* militum, non modo ab arce rejectos, sed plane fugatos fuisse.

Cromer L. 29. hist. Polon.

Anno 1537 proditio *Joannis Kociani,* hominis exteri in historiis notatur, qui appropinquante *Turcarum exercitu,* signum militibus *fugæ* dedit, fugêre plerique omnes, *Bohemi, Silesii, Tyrolenses* mori maluerunt, ac fortiter pugnantes internecione sunt deleti cum ducibus suis *Wenceslao de Sswamberg, Petro Rassin campi Marescallo, Bercis duobus,* ac multis aliis de Bohemica nobilitate. *Kocianum* proditorem *Nicolaus Serinius deprehensum* proprio ejus ense in partes dissecuit.

Weles. in Cal.

Anno 1541 ad *Pestum in Ungaria* octo millia Bohemorum gloriose in acie ceciderunt.

Merc. Gall.

Anno

Epitome nostra. Anno 1593 *Bohemi, Moravi, ac Silesii* exercitum insignem adversus *Turcas* misêre, multa feliciter gesta, captæ ex Turcis arces tredecim, ultra viginti millia Turcarum deleta, & 22 Junii ad *Sissecum* nobilis de Turcis reportata victoria est.

Papr. in Histor. suor. temp. Anno 1594 *mille Bohemos* equites cataphractos *Duce Rudolpho a Tieffenbach* nostri ordines misêre, item alios mille levis armaturæ, quos duxit comes *Sebastianus Sschlik*, laudata eorum virtus est ad *Novogradum & Hatwan*, ac in æstate rursus mille sexcentos pedites, equitum quatuor millia Archiduci Maximiliano, exercitus christiani Imperatori, submiserunt. Duces Bohemorum nominantur: *Henricus Krzineczky, Wenceslaus Pietipesky, Sebastianus Sjanovecz, Wenceslaus Keg, Henricus Missha.*

Slavat. in Hist. Anno 1595 *Bohemi in Ungariam* duo millia cataphractorum equites, levis armaturæ sexcentos sexaginta sex, & peditum sex millia miserunt.

MS. Cuttn. Anno 1596 *Wilhelmus Trczka* cum suis *primus mœnia Hatwan* (munitissimi loci in *Ungaria*) adversus *Turcas* conscendit, & locum occupavit. Apud *Keredess equites Bohemi* ab aliis deserti fortiter dimicantes, omnes ad unum cecidere.

MS. Cuttn. Anno sequenti 1567 in oppugnatione *Jaurinii* ex murali machina interfecti sunt duo egregii ex *Bohemis Duces, Joannes Chinsky, & Joannes de Pernstein*: quanti bellatores ii fuerint, & quæ officia in exercitu christianorum gesserint, *Mercurius Gallobelgicus*, & annales Ferdinandæi demonstrant.

Khevenhüller in Annal. Ferdin. Anno 1601 dum *Bielohradum*, seu *Alba regalis* recipitur a christianis, inter primos assi-

lien-

lientes ad mœnia cecidit *inclytus Heros ex Bohemis Ducibus militaribus Christophorus Jaroslaus Trczka.* Eodem tempore cum plurimis *Bohemis equitibus* pugnans periit *Henricus Krzineczky de Ronow* (quæ illustrissima stirps hodieque in Brandeburgia superest, ac floret) mille equitum ductor, Turcicis bellis a fortitudine notissimus. MS. Cutta:

Infinitus essem, si generosas nostrorum hominum pro Ungariæ salute pugnantium cædes describere vellem. Quasdam consulto adfero, ut titulo hujus §. faciam satis, cum præmiserim, multum Bohemici sanguinis in *Ungaria* profusum esse, sed utor compendio. Insignem animi fortitudinem demonstrarunt *Bohemi*, qui pro *Ladislao rege* suo ad *Mohaczum* (cum essent regii corporis custodes) ad unum omnes, nulla petita vitæ gratia pugnantes ceciderunt. Approbavêre alii fidem *Ferdinando I. regi suo* ad Toccajum, anno 1537 *Bohemi* fortissime adversus *Joannem de Zapolia dimicantes. Sub Maximiliano II.* an. 1566, tum in *Temesvarii* defensione, tum ad *Sigethum* adversus obsidentes *Turcas* a toto christiano exercitu Bohemorum militum virtus præcipuam obtinuit laudem. *Rudolphi II.* cum *Turcis* diuturna bella descripsere multi, in eorum temporum annalibus utramque paginam conficiunt *Bohemi* milites virtute spectati, præcipue ad *Hatwanum, Agriam, Albam-regalem, Strigonium, Jaurinum, Budam &c.*, eorumque *Duces* æterna memoria dignissimi, & ab *Historicis* celebrati: *Trczkæ, Chinskii, Pietipeskii, Pernsteinii, Rosenses*, ac cæteri: *Melchiorem Rederum* consulto nominare nolui, nam etsi eum *Baronem Bohemum* plerique appellant, ego tamen eum *Silesiæ*, in qua natus

Dubr. L. 30 Julius Cotu-rius in Heroi-bus. Valer. Max. Bohem. Paulus Jovius histor. Lib. 36.

Buch. in Indice Chronolog. Gregor. Richter affirmat. Oecon.

tus

tus erat (etsi educatione, & conjugio, & ditionibus Bohemus fuit) libens adscribo.

Militaribus, & pecuniariis suppetiis, quas *Bohemia Ungariæ* submisit, obiter transcursis, accomodate forsitan, de aliis quoque meritis *Bohemorum in Ungariam* non parum majoribus agere possem, ut puto *de S. Adalberto Bohemorum antistite, qui Geyza rege christianis* sacris instructo, & *S. Stephano rege*, infante sacris aquis abluto, *Ungarorum gentem ad Christum* adduxit, & nomen *Apostoli Ungarorum* sibi comparavit. Item de *Astico* seu de *Anastasio Abbate Brzevnoviensi in Bohemia*, postea *Episcopo Colocensi*, item de ejus *Romam* profectione, qua *Ungaris regiam* dignitatem *Romæ* impetravit primus, & primus sacram coronam e cœlo, ut traditur, missam, quam *Ungari* merito *sanctam* appellant, in Ungariam attulit, deque ejusmodi rebus: sed his alius apud me locus servatur.

§. X.

Quædam secunda Prælia Bohemorum in Polonia, per eam occasionem præmittuntur nonnulla alia majora beneficia, quæ majores nostri nobilissimo illi & amplissimo regno contulerunt.

Bohemiæ regnum non modo ob communem (a *Lecho* minore *Czechi* nostri *fratre*) originem, fraternum a *Polonis* amorem mereri videtur, sed multo etiam magis ob *cœlestia*, & immortalia quædam munera, quæ per *Bohemos* fortissimæ illi genti divinitas contulit, adeo cumulatim, ut, quod modeste, sed vere tamen dici possit, *Bohemos* elegisse videatur *Deus*, quorum ope & obsequiis regnum illud beare & in cœ-

lum

lum efferre voluerit. Mittamus inutiles illas de *S. Adalberti* corpore, ereptumne illud a *Brzetislao* sit, an non sit, controversias, mittamus de *Silesia* certamina, quæ si quis renovat, is se se omnis historiæ imperitum eadem opera necessario ostendit, tot transactionibus, tot contractibus, tot fœderibus antiquis, & novis nuper etiam (sub Rudolpho II. quæ Schikfusius recitat) abolita sunt omnia, ut literæ ipsæ justum volumen conficere possint, mittamus inquam hæc, & de uno illo agamus: an unquam quidquam *Bohemia Poloniæ* commodarit? In *Epitome historica* mea multa huc spectantia memoravi, brevissime indicem bonorum ex Bohemia, quæ Poloniæ obvenerint, texam, nam jacturæ odiosum foret, ne cum *Terentiano Sosia* quis dicat: In Andria.

Sed mihi hoc molestum est: nam isthæc commemoratio quasi exprobatio est immemoris beneficii, quin tu uno verbo dic.

Primo religionem christianam a *Bohemis* accepisse, & ad eam informatos esse *Polonos* indubitatum est, *cum Boleslaus I. Bohemiæ Princeps Dambroukam, vel Dobravam filiam Mieczislai Duci Poloniæ* idololatræ conjugem dedit conditione adjecta, ut *Christi fidem* susciperet, quod ipse præstitit A. C. 965, ut omnes *Poloni scriptores* fatentur, recteque canit *Clemens Janitius Polonus Poeta, Christum* alloquens:

Fœmina te nobis ostendit prima Bohemo
Sanguine, prima crucem nos docuitque tuam!

Quæ postea ad gloriam *Dei & Ecclesiæ* magna omnino & ingentia a *Miecislao* gesta sunt, ut *Procerum* omnium & totius *Poloniæ* ad *Christum conversio, erectiones, & fundationes Episcopatuum & Ecclesiarum*, quas inter *S. Wenceslai Ecclesia Cathedralis Cracoviensis* primo titulo sic dicta, nondum 30 *annis a S. Martyris morte elapsis*, aliaque hujusmodi *Polonicarum Ecclesiarum* decora & *Majestas* nulli, *Europæ regno* cessura, hæc pluraque alia, *Dambroucæ Bohemæ*, & *Nobilitati Bohemæ*, quæ maximam partem in *Poloniam* ex *Bohemia* cum *Regina virgine* advenerat, ut in *Epitome* narravi, debentur. *Bohemici consiliarii* ejusdem *Mieczislai* erant *Catholici*, ut *Herburtus* in *annalibus Polonorum* loquitur, quorum videlicet consiliis idololatria oppressa, Christiana Religio per orbem Polonicum est propagata.

Joann. Herburtus in Annalibus Polon. L.2.C.1

Magnum quoque & singulare *Bohemiæ* in *Polonam gentem* meritum censeri debet: quod omnes prope *religiosi ordines ex Bohemia in Poloniam* primas colonias deduxerint, ut in Epitome laudatis authoribus, ipsismet *Polonis* probavi: de D. Francisci Assisinatis familia scribit ingeniosus *Elogiastes Polonus Eques Kochowsky*, eam e Pragensi municipio in Poloniam colonias duxisse: *minores*, inquit *Raynaldus*, *Praga Cracoviam Boleslaus Budicus*, accersivit, idem habent *Cromerus & Miechowius*, *de Carthusianis e Pragensi cœnobio in Paradisum Mariæ in Wladislawiensi diœcesi* deductis, idem *Miechowius est author, de Slavis ordinis S. Benedicti* idem sic loquitur: anno 1390 *Rex Wladislaus* cum conjuge sua *Hedwige* fundarunt in *Oppido Cleparz ad Cracoviam Monasterium, Slavorum ordinis S. Benedicti* quos Praga vocarunt; quod postea *Præbendati* obtinuerunt. Anno 1246 *Wratislaviam* frater *Asce-*

In Hypomnematis Reginar. Poloniæ in Grzimislava Leonis albi Principis Poloniæ uxor Raynald. T. 13. Annal. Eccles. A.1227.

Ascelinus ordinis prædicatorum Legatus ex Bohemia cum pluribus fratribus ſuis, & aliorum *ordinum* advenit, ut teſtatur Miechowius. Miech. L. 3. C. 38. Id. L. 4. C. 34

Nec illud præteriri poteſt, quod in primis celeberrimæ *univerſitatis Cracovienſis* initiis ex *univerſitate Pragenſi magiſtros evocatos eſſe* legamus, ut non modo *pietatis*, ſed etiam *doctrinæ* lumen noſtri homines apud ingenioſiſſimam & eruditiſſimam gentem accenderent. An. 1400 ait Miechovius, Wladislaus Rex Poloniæ erexit *ſtudium generale Cracoviæ*, advocati ſunt *Doctores & Magiſtri Polonici, Bohemici & Alemannici idiomatis ex univerſitate Pragenſi*; eadem habet *Cromerus*. Cromer. L. 8. 3. C. 44. L. 4. C. 41. Cromer. L. 16.

Litvanorum ad Chriſti fidem ab illo ſuo *malleato Deo* converſio multorum quidem ope, ſed præcipue etiam *S. Hieronymi Camaldulenſis Bohemi Pragenſis* prædicatione, & miraculis eſt peracta, ut in eodem *Epitome* idoneis teſtibus comprobatur. Notet lector eodem ſeculo alium ab hoc *viro ſanctiſſimo Hieronymum itidem Pragenſem* vixiſſe, qui poſtremus in *Concilio Conſtantienſi ad rogum* damnatus eſt. De utroque late egimus in *Epitome noſtræ hiſtoriæ Bohemiæ*. Jam quantam nobilitatem in Poloniam miſit, quæ cœlum illud velut ſtellæ hodieque illuſtrant, præcipuas recenſet *Sim. Okolsky* in tribus *Tomis orbis Polonici*, quas ſuo loco nos adducemus, & *originem* ex *Bohemia* habere probabimus. In Stematograph. Poſſem hic etiam quædam *Regum* noſtrorum in *Polonam* gentem merita commemorare, ut Wenceslai II. quem communem nobiscum *Poloniæ Regem* habuit, qui in *Regnum illud monetam argenteam* intulit, cum antea *Poloni argento nigro*, ut loquuntur ſcriptores in commerciis uterentur. Idem *Rex* uti & *Pater* ejus *Ottoga-*

rus quasdam arces, & urbes fundavit, exſtruxitque, alias mœnibus cinxit, & permunivit, ut ipſam *Regiam Cracoviæ arcem &c.* plura conſtituit & ſanxit legibus, quibus jacentem juſtitiam erexit, & *rempublicam Polonicam* mirum in modum ſtabilivit. *Carolus Imperator* etiam nominari hoc loco poſſet, tum qui ſecuti ſunt *Reges, ac Cæſares*: ſed hæc alibi. Jam ad quosdam egregios Duces e Bohemis, qui fidelem in militia regno Poloniæ operam præſtiterant, properamus.

Adverſus *Moſcos & Turcas*, aliosque *Polonici nominis* hoſtes ſæpe militarunt pro *Polonia Bohemi*, referam quædam nomina ex Cromero poſtea: his bellicæ virtutis merito præpono *nobilem, & ſtrenuum militem Procopium Glans a Porziczy Bohemum*, qui plurimis præliis victor,& feſſus bellicis laboribus, cum in *patriam* rediiſſet, jam ætate confectus eſt, anno 1517 vita exceſſit gloria plenus: *Epitaphium* ejus quantus vir ille fuerit, breviſſime innuit, cum eum affirmat ſub tribus *Polonorum Regibus* bellorum fuiſſe *Ductorem*, *ſcientiam* ejus bellicam celebravit verſibus *Sim. Fagellus Villaticus præpoſitus* ad omnes SS. Pragæ in libro *Tumulorum*. Magna in bello Prutenico virtus enituit Joannis de Telcz Bohemi Ducis, equeſtri apud nos loco nati, hic in cruentiſſimo illo Polonorum cum cruceſignatis prœlio, quo 40 *millia ex crucigerorum* exercitu & 400 *equites crucigeri ceciderunt*. *Conradum Album Oleſnicenſem Ducem acerrimum* aliquin *Bellatorem* ad abjectionem armorum in ipſa acie compulit, & captum a ſe ad *Poloniæ Regem* adduxit.

Miechow. Hiſtor. Polon. L. 4. C. 44.

Czapko itidem *Bohemus* ex ignobili *milite* clarus apud *Orphanos* equitum Ductor, per idem

Miechow ibi. C. 48.

idem tempus genti *Bohemæ* apud *Polonos* (pro iisdem feliciter, & strenue adversus *Prutenos* depugnans) magnum conciliavit fortitudinis nomen, cum domum ex maritimis illis oris *Equites Bohemi* redirent, ut gloriationi apud suos locus esset, *Dantiscum* obsedisse, & in mari equos abluisse, ut *Theobaldus* aliique *scriptores* commemorant. Juvat *Cromerum* alioqui virtuti nostrorum hominum, non semper æquum, & Bohemicæ gloriæ, ut innumeris historiæ ejus locis ostendi potest, obtrectatorem, eo de bello scribentem proferre: *Bohemi milites a Rege Poloniæ evocati Duce Czapkone, novam Marchiam cum Polonis subegerunt, in eo bello primas stationes servabant. Sequitur insigne crudelitatis in cives suos a Czapkone editum exemplum: cum capti essent quidam Bohemi, qui crucigeris militarant, Czapko ut sibi donarentur impetravit; traditos graviter, quod Teutonibus contra Polonos ejusdem secum linguæ & originis militarent, corripuit, pyraque ingenti exstructa exussit. Feruntur Bohemi, cum Pomeraniam usque ad mare pervastassent, marinam aquam haustam laguncults domum deportasse.* Hæc Cromerus.

Bilejow L. 1. de mutat. Relig.

Crucigerorum cum Polonis de Prussia bellis utraque pars *Bohemorum, & militum, & Ducum* auxiliis nitebatur, itaque in eodem sæpe prœlio & apud *Crucigeros*, & apud *Polonos Bohemi* virtutis suæ documenta clarissima dederunt: *Joannes Zarnovius Bohemus* maximum ad victoriam attulit momentum, in eodemque prœlio ex *Crucigeris Wenceslaus de Donina seu Dona Bohemus* fortissime pugnans capitur, ut refert *Cromerus; Joannis Sokol Bohemi* virtus militaris universo *Poloniæ Regno & Regi* sese mirifice probavit, cujus fidei *Radinum* arcem munitissimam

Crom. L. 16. & 17. hist. Polon.

Rex commendavit, cumque veneno *Toruni Sokol* ſublatus eſt, parvos ejus *filios*, propter merita *Patris*, ut *Cromerus* ait, honeſte, & liberaliter educari Cracoviæ juſſit, plures alios *Bohemos* militiæ *Duces Wladislaus* magnis affecit muneribus, *arcesque* de *Prutenis* captas, iisdem diſtribuit; ex quo aperte datur intelligi, tanta eorum merita fuiſſe, ut *invidiam Polonorum* ſuperarent. Bellis ſequentibus præſertim anno 1414 multos ex *Bohemia Poloniæ Regibus* militaſſe, & *Ordines* duxiſſe, *Cromerus* eſt author. *Ruſſos* quoque id temporis in caſtris auxilia *Bohemorum* habuiſſe, ex eodem *Cromero* intelligimus. De Crucigeris, & Polonis, quæ modo dixi, in utrisque caſtris ſtipendia merentibus, magis poſtea idem ſcriptor confirmat, cum *Sumbergium* (forte *Swanbergium*) & *Plavenium Bohemos*, *Crucigerorum Duces, de Polonis* reportaſſe victoriam narrat; quam tamen *Crucigeris*, alii Bohemi duo, *Joannes Colda* (*Lipæanæ ſeu Berkianæ ſtirpis*) *&* *Czabeliczky* (quem *Poloni* ob ſtaturæ parvitatem *Skubelam* vel *Skubelkam* dixere) ille egregio aſtu *Zuldowia* intercepta, hic defenſa cum magna clade *Crucigerorum Fridlandia* interceperint; *Skubelæ* memorabile eſt facinus: Præfectus erat *Fridlandiæ*, cum hoſtium adveniret exercitus; ſimulata negligentia hoſtem ad ipſa usque mœnia accedere paſſus eſt, tum machinis, quas opportunis in locis collocarat, in confertiſſimos *Crucigeros* ſimul exoneratis, non parva clade, majore etiam perturbatione affecit, ac protinus cum ſuis erumpens 500 occidit, centum viros cepit, reliquos procul ab oppido removit. Nihilominus crucigerorum res, ne in pejus ruerent, aliis e *Bohemia Ducibus*, ut loquitur *Cromerus*, maxime nitebantur.

Crom. L. 18. Id. L. 10. fin.

Crom. L. 24. A. 1461 & 1464. & 1500. L. 30.

Nec

Nec minus *Poloni* ab his adjuvabantur. Laudat idem *scriptor Davidem Bohemum* castrorum apud *Polonos* Metatorem, & *Joannem Skalam* anno 1464. *Wormithæ* seu *Ornitæ* præfectum Regium, cujus virtute *Crucigeri* sæpius repulsi, & multis cladibus sunt attriti. At paulo post ope potissimum *Bohemi Ducis Menziczi* (ita vocat *Cromerus*, unde familiam, qua sit ortus, conjicere non possum) hic ergo *Menssicus in Massoviensem* agrum suos duxit, & nobilitatem ejus ore multitudinis fiducia incautius in se irruentem in insidias paratas præcipitatam apud *Lochanoviam* ingenti clade prostravit. Comer. Lib. 26. A. 1466 Crom. ibidem. 1465.

Laudat *Piassecius Polonus scriptor Episcopus Przemisliensis Bartholomæum Novo-Dworzky* (quæ stirps in *Bohemica Equestri nobilitate* censetur) *Equitem Melitensem stipatorum Regiorum Poloni Regis Præfectum*, qui anno 1609 ad ipsam portam *Smolensko urbis a Moscis* occupatæ *Petardam*, ut vocant, applicuit, & *cum* 300 *solis peditibus urbem*, quæ ab hostibus potentissimis tenebatur, ingredi non dubitavit; at cum alii subsequi cunctarentur, rejectus est, & occasio pulcherrimæ rei gerendæ e manibus amissa. Scio *Sim. Okolskium Novodworzkios in nobilitate Polona* reponere: facile assentior, movet me tamen *Piasecius*, quem genus illius herois, sua ætate in officio primario aulæ viventis, ignorasse non puto, adde quot *Nowodworskios* in nostra nobilitate numeremus, ut lib. V. *Miscellaneorum* ex fundationibus probavi. Paulus Piasecius in Chron. gestor. in Europa. In orbe Polon.

§. XI.

De quibusdam Hæreticorum apud nos Ducibus, deque eorum militari ſcientia, cum maximis ſacrilegiis conjuncta, ob quæ cum execratione eorum victoriæ leguntur.

Joannes Ziſſka Eques de Trocznowa (quem corrupte Fabricius *Joannem Troterram* appellat) homo cum gemitu totius *Bohemiæ* nominandus, in *Bechinenſi Bohemiæ diſtrictu*, non procul *a Borowanenſi Canonicorum Auguſtiniani ordinis Cœnobio*, in pago cognomine Trocznow, in re tenuiſſima natus eſt; oſtenditur hodieque *Quercus* annoſiſſima, in cujus cavo in lucem editus dicitur, cum Mater ejus ancillas in prato vicino fœnum colligentes ſpectaret, & ſubito doloribus partus occupata ſpatium domum redeundi non haberet. *Ziſſka* ſummi *Imperatoris* nomen meruiſſet, niſi omnia ejus illuſtria facinora plusquam barbara crudelitas, internecina *Cœnobiorum* vaſtatio, ſacrilega *Eccleſiarum omnium* incendia fœdaſſent; ejus vitam, mores, & quædam ſtratagemata (ſine quibus nunquam prœlium ullum ingreſſus eſt) in *Epitome hiſtorica* deſcripſi, tricies quinquies *Ziſſkam* prœlio cum hoſtibus decertaſſe, fortuna cœca prope ſemper cœco Duci favente, ſcriptores affirmant, tredecim victorias reportaſſe ſcripſit *Crinitus*, ſed iſtud ſine dubio de clarioribus victoriis intelligi debet. Epitaphium Ziſſcæ Czaslawiæ quondam exſtructum, undecies ſigna cum hoſtibus contuliſſe, & victoriam retuliſſe *Ziſſkam* ſignificat, ter decies *Zalanſky*; fuit *Taborienſium Imperator* ſecundus, nam primum nomen *Nicolao Hus Huſſinecii Domino* ab ipſis *ſcriptoribus* *Hære-*

Silvius C. 38.

Roſac. orat. Paneg. Univ. Carolinæ

Żalansky Conc. 2. de Huſſo.

Hæreticis ultro defertur, huic, cum periisset, *Zisska* successit anno 1420. 25. Dec.; quod *Calicis usum* pro *Laicis* tueretur armis, posito cognomine de *Trocznowa* de *Calice* dici voluit, quem calicem postea tulit in *Clypeo*, castrumque ad *Litomericium* condidit, quod calicem appellavit. Sita est *Arx* in edito colle *Litomiericio*, *Aussam* euntibus a sinistris, hodie quoque rudera spectantur una via tantum adeunda, ubi in illo arduo monte ante arcem campus est declivis, quadratus, in quo mille hominum stare possint, in quem si hostes ingruant, commode jaculari, & ex alto decurrere defensores possint. *Militiæ tirocinium in Polonia* posuit Zisska, atque etiam adversus *Crucigeros* pro *Polonis ordines* ductavit, ibi in bello *Prutenico* primum oculum amisit, unde *Zisska* seu *Cocles* militari ioco dictus est, alterum oculum ex *Ballista ad arcem Rabi* excussit *Zisscæ*, notæ virtutis & *Nobilitatis Eques* nomine *Koczowsky*, ut in arcis ingressu depictum est coloribus; unde hallucinatur *Hagecius*, qui in pirum arborem exploso tormenti globo, fragmento rami excussum illi oculum somniat, nam ut taceam, raro tunc in usu fuisse cum pulvere pirio tormentorum machinas; Mathias Lauda, dum extraheretur sagitta, & curaretur Pragæ in oculo *Zisscæ*, se interfuisse in historia sua scripsit, sunt in manibus meis quædam a Zisska composita, & conscripta, ut *epistola ad Tustenses*, ex qua satis cruentus, & seditiosus ejus animus elucet, data ex *Orlik* feria 6. *nativitatis B. Mariæ;* item ejusdem *Zisscæ concionem* inveni ab eo *Zisskianam* appellatam, cujus initium est: Kdo ste Božj bogownjcy ꝛc. qua milites, & populus ad arma corripienda incitantur, quam

etiam sui ante prœlium canebant. Habeo etiam leges militares ab eo latas, sane per quam severas, quas fortasse in altera hujus libri parte, si suaserint amici, recitabo. Si exemplo *Plutarchi vitas parallelas* magnorum virorum conscribere oporteret, cui ducum antiquorum *Zisska* similis videatur, *Annibalem* dicerem, quem nequitia, & fraudibus, & rebus per omnem vitam gestis; atque etiam cæcitate proxime expressit, ac forte etiam malis artibus superavit. Si quam *urbem, oppidum, aut locum* suis militaliter diripiendum dedisset, solebat *Zisska* unum prædæ genus sub capitis pœna excipere, quod ad se protinus deferri jubebat, *telas*, ut ille loquebatur, *aranearum*, pernas. Pawučiny, scilicet siccatas fumo carnes e caminis, & cellis coquinariis pendentes intelligens, eas ille curribus impositas auferebat, & paratam, ac viris fortibus idoneam semper in castris habebat annonam, quam militibus pretio vendebat, & hæc erat unica præda ducis, & victoriæ præmium, unde ille ingentem conficiebat pecuniam. Plura de maximo, quanquam in mala causa, duce Joanne Ziska adferre nolo, ne ante dicta supervacue repetam, neque ipsum describam poëtarum trivialium & pauperis venæ exemplo qui Poëmata a se semel honori Mecænatis scripta pluribus honorandis valitura scribunt, & recitant, ut illos argento emungant ad famis suæ subsidium. Illud notatu dignissimum, *Zisskam* paulo ante mortem *Sigismundo Cæsari* conciliatum promisisse (quod etiam commemorat *Dubravius*) ut olim a *Regis* obedientia Bohemiam avertisset, ita se paraturum eandem & redditurum Regi, ideoque *a Sigismundo gubernationem Regni universi Zisscæ oblatam.* Sed hæc

Silvius Coment. in Panorm. Lt 3. N. 33.

V. Epitomen histor.

hæc consilia *Ziſcæ* omnia mors abrupit, equidem dubito, an in tanta jam & semel data omnibus impunitate & licentia efficere illud potuisset. Sed nihil magis miratus sum, quam quod in *Bilejovio* legi, ad *Ziſcæ* tumulum Czaslaviæ stare altare, ex quo annue duæ sexagenæ alborum grossorum (ut majores appellabant) sua ætate penderentur, stabili, æternaque pensione, ea lege, ut quot annis sacrum pro defuncto Joanne Zisska legeretur, eumque se sacellanum fuisse, & aliquot annis sacra peregisse pecunia præsente ad dictum Altare, testatur ipsemet Pilejovius. Epitaphium Ziscæ multum a diversis laudatum condidit Poëta inter Bohemos non ignobilis Aurogallus.

Crinit. in origin. urbis Bohem.

MS. Cuttn.

L. 1. de Mutat. Relig. in Bohem.

Dux Patriæ occubuit felix hoc Zisska Sepulchro:
Zisska suæ gentis gloria, Martis amor.

Hæc de Zisska.

Procopii duo major, seu Rasus, & minor Ziſcæ in exercitibus hæreticorum ducendis successerunt, quorum laureas belluina crudelitas, & sanguinis humani inexpleta sitis, corruperunt: piget eorum prœlia recensere, quæ attigi in historia, optimeque de bellis eorum temporum paucissimis, at multum significantibus verbis pronunciavit *Cromerus Varmiensis Episcopus: Bohemi eo tempore prægraves Cæsari, & universæ Germaniæ.* Nota est vox *Basiliensis concilii* 1432. sessione 3. *Bohemi ex inscrutabili consilio Dei armis superari non possunt.* Procopii majoris armati effigiem in vetere urbe in angulari domus pariete, qua ex curia itur ad pontem, spectari, scribit *Bilejovius* & ipse spectavi, sed Mercator, qui nuper hanc domum emerat, hoc

Crom. Lib. 19. histor. Polon. Theobald. in Hussit. P. 1. C. 79.

hoc antiquitatis monumentum, cum domum inalbaret, calce ſuper inducta ignarus delevit.

L. 1. de mutat. Religi.

Univerſim dici poteſt Taboritas, Orebitas, Huſſitas, tam formidata catholicis nomina fuiſſe, ut cives Baſilienſes viſis ex eorum numero trecentis, quos Koſtka ducebat, dixerint: in uno Bohemo Taborita, trecentos malos dæmones ineſſe. Fuere ex Taboritis, qui quadraginta atque etiam pluribus adfuere præliis pugnantes, plerique continuis æſtatibus, denis atque etiam vicenis, nullo ſub tecto, ſub dio pernoctarint, qua re gloriari, ſeque in *campo militantes* ad aliorum hæreticorum diſcrimen vocare ſolebant, ſole torridi, & velut fumati, ut eos deſcribit, qui viderat Silvius, & omnibus cœli & terræ injuriis conſuetudine ſuperiores. Anno 1420. Sigismundus Imperator centum quinquaginta bellatorum millibus ſtipatus ad Pragam venit, a Pragenſibus, auxilio *Taboritarum* nulla re memorabili geſta repulſus eſt, atque inſuper, ut fiduciam oſtenderent *Pragenſes*, toto obſidii tempore, apertis diu noctuque urbium ſuarum portis, Sigismundum exſpectare ſe vociferabantur. Anno ſequenti 1421 *Electores, Principes* cunctique *Imperii ordines*, ducenta armatorum millia (ut in Chronico Mansfeldienſi C. 310 legimus) ad *Zatecium* civitatem bohemicam adducunt, ſed obſeſſorum virtute, & propria etiam ignavia fugantur. *Wilhelmus Landgravius Thuringiæ* ac cæteri ex illa Germaniæ parte ad *Auſtam* obſidione *Hæreticorum* preſſam liberandam cum *ſeptuaginta armatorum millibus* properant, anno 1426 commiſſo prœlio cæduntur, multis ſuorum millibus (qui plurimum ponunt, quinquaginta millia, qui minimum, duodecim millia nu-

Zach. Theob. in Huſſiticis.

Dubr. L. 24. Hiſtor. Bohe.

Fabric. Lib. 7. origi. Saxon.

numerant) desideratis. Secuta est *Bohemorum in Misniam* irruptio & *Geræ* expugnatio, quam diligenter Fabricius, & Theobaldus tractarunt. *Paulo post Eugenio Papa Julianum Cardinalem* militaris animi virum mittente, Fridericus Marchio Brandeburgicus 130 militum millia in Bohemos fines per Bavariam immisit, solo Bohemorum advenientium terrore, vix hoste viso, dispergitur exercitus amissa, insequentibus Bohemis, non exigua copiarum pars, instrumentum bellicum, impedimenta, supellex omnis, etiam sacra (ut *Juliani Cardinalis galerus, purpura,* & quæ ad sacrificium adhiberi mos est) in hostium manibus relinquntur. Nova rursus expeditio Germanorum Principum adversus Bohemos suscepta in irritum cadit; fugêre turpiter a *Teplicio*, ut narrat Fabricius anno 1429 in *Misniam hæretici Bohemi*, tum in *Lusatiam* irrumpunt. *Jacobus Bilinensis, familiæ Wrzesovecianæ* (quem *Hagek* ubique *Jakaubek* id est *Jacobellus* appellat) una cum *Procopio*, cognomine *Raso* (qui in sacerdotalis vitæ contemtum raserat caput, & milites quoque similes, id est, attonsos ducebat) Missniam ingressi, omnia pervastarant, hos a transitu *Mildæ* fluminis, *Joannes Polencius Eques Bohemicis* bellis notissimus, ut qui *Carlsteinam cum Catholicis Bohemis* adversus Pragenses strenue defenderat, arcere tentavit, sed a *Bohemis* profligatus ægre vitam ipse servavit. Narrat ibidem Fabricius Bohemorum hæreticorum in *Voitlandiam, Bavariam, Franconiam,* hostiles excursus. Anno 1432 maximis animis, neque spe minore Germani Principes junctis viribus intravêre Bohemiam, Bilina & Krupna feliciter occupantur, sed adventu Bohemorum totus dissipatur exercitus. Vide Epito-

Fabric. ibid.

tamen historicam nostram, in qua omnia hæreticorum armatorum vestigia persecutus sum, & Catholicorum cædes ubique perpetratas brevissime, sed magna diligentia unum in locum
Stransky C. 2. §. 11. congessi. Plures hujusmodi *Victorias Hussitarum*, si id ageretur, adducere possem. Vix annus ullus abiit, quem Catholicorum clades non signarit, *Clattovienses* soli (quod maxime mirum) quibus unicus *Baronum Janovskius* copias suas junxerat Anno 1467 2 Julii *Bavarorum* ingentem *exercitum*, eumque *Cruce* signatum *a Paulo II.* profligarunt. Sed *Hussitarum*
In Epit. Histor. *Prælia* alio in loco enumeravimus, jam tædet describendis immorari.

Appendix ad Militiam veteris Bohemiæ.

Diu dubitavi, quemnam in locum conjicere spectacula & ludos militares oporteret, in quibus nostrorum hominum agilitas, & dexteritas Regibus ac Principibus sæpissime se se probavit, & præmia retulit; tandem succurrit aptissime Militiæ subjici, nam spectacula hujusmodi & ludi, prolusiones & imitationes sunt verorum prœliorum; itaque sicut umbra ad corpus & effigies & imago ad id, quod repræsentat, refertur, ita spectacula militaria, & decursus, fictæque pugnæ veris & seriis recte conjungentur.

CAPVT XIV.

§. I.

De ludis publicis præsertim Trojanis, & spectaculis tum alibi, tum præcipue in Bohemia editis.

Nemo tam ignarus rerum Germanicarum, ut reor, invenietur, quin de *Torneamentis*, ut vocant, seu hastarum ludo, seu, ut aliqui appellare malunt, *Troja* audierit, aut legerit, nihil majori celebritate, aut *Germanæ Nobilitatis* majore frequentia, & studio in antiquitate gestum, atque utinam ea celebritas revocari posset in usum! profecto generosior, incorruptior, atque etiam fortior, & *Patriæ* suæ utilior esset *nobilitas*, cum indigni, maculosi, & sui generis immemores arcerentur, bene nati, fortes, ac simul modesti, & famæ suæ, & gloriæ servantes jungerentur animis, & concordiam illam, & sui, suorumque fiduciam ad Patriæ tutelam converterent; articulos exclusionis *Münsterus recenset de Germania* L. 3. C. 454 apud eundem legere potes, a quo & per quam opportunitatem *Ludi* illi, & *Torneamenta* cæperint, quæ omnia ex Rüxnero Münsterus descripsit. Observet igitur lector an. 1578 editum esse justum Volumen *Francofurti ad Mœnum Ludovico Electori Palatino*, ejusque fratribus *a Typographo Sigismundo Feyerabentio* dedicatum, lingua Germanica conscriptum, cujus author est, *Georgius Rüxner Germanus*, Caduceator *Maximiliani I. Imperatoris*, & libro titulus: *Thurnierbuch*, seu liber *Hastiludiorum*, in quo author Ludos illos

Münsterus in Cosmographia.

ab

ab Henrico I. cognomento *Aucupe* instituτos, usque ad Maximilianum I. Cæsarem deduxit, nominatis Equitibus, & quicunqe decurrerant, appellatis. Odere hunc librum hæretici Zelotæ (ut *Münsterus*, *&* *Stumphius* *&* *Modius*) & *Fabulatorem hastiludiorum* appellant: causam aliam esse non puto, quam quod Henrici I. Aucupis *in res sacras* & in *Dei Matrem Virginem Mariam*, pietatem commendet, at illi cum veram causam nolint dicere, adversari se *Rüxnero* dicunt, quod omnibus aliis *scriptoribus* vetustis ignota, & hactenus inaudita in lucem protraxerit, at *Rüxnerus* vetustissimis Magdeburgensibus Manuscriptis se se tuetur, unde hæc sua descripserit, neque tot nomina, & appellationes, & tantum rerum chaos confingere ullo modo potuerit, aut voluerit, *Deum* in eam rem, & conscientiam suam contestans. Münsterum ridere cogor, qui affectu victus, *Rüxnerum* damnat, & nihilominus describit & laudat historiam, ex eodem scilicet ore, sublestæ fidei homo frigidum, & calidum expirans, at qui Rüxneri librum approbent, graves & historiarum peritos adducere possumus: *Crantzium*, *Cuspinianum*, *Spangenbergium*, *Reiisnerum*, *Buntingium*, *Dresserum*, *Pucholtzerum*, *Lehmanum*, *Henningens*, *Chytræum*, *Cochlæum*, *Suckium*, *Heringium*, *Paurmeisterum*, *Venturam de Valentia*, *Bechtium*, *Betramum*, *Wolfium*, aliosque. Igitur circa an. 934 *Henricus auceps* Rex Romanorum electus, nobilitatem omnem Germanicam ad Ludos hastarum, *Magistro Philippo Secretario Regis* authore, invitavit, quatuor Germani Principes advenêre, unde in quatuor circulos (*Bavaricum*, *Rhenanum*, *Suevicum* *&* *Franconicum*) divisa omnis nobilitas decurrit; non est meum hæc latius

Apud Goldastum L. 1. de Juribus Bohe. C. 14.

tius

tius persequi, ea tamen referam, quæ ad *Coronam Bohemiæ* pertinere putabo.

Primum Torneamentum celebratum est *Magdeburgi*, ut dixi A. C. 934 in *Circulo Berchtoldi Ducis Bavariæ*; de nomine legitur: *Wenceslaus Dux Bohemiæ* (alius esse vix potuit, quam *Patronus Bohemiæ, cœlo dignissimus, Virgo & Martyr S. Wenceslaus*) *Arnoldus Bavariæ Dux* in cœtu suorum habebat *Grotzomislaum Moraviæ Marchionem* (suspicor in hoc nomine subesse errorem, ac forte *Krzezomyslaum* legi oportere) hi duo duces (*Wenceslaus & Crzezomyslus*) fidelissimam operam in bello adversus barbaros Idololatras, qui ibidem enumerantur, *Henrico Aucupi* electo Regi præstitisse dicuntur: in eodem bello præter modo dictos, præcipuis accensentur; *Wratislaus Dux Silesiæ*, *Boleslaus Marchio Moraviæ*, *Brzetislaus Dux Bohemiæ*, *Mistoboius Princeps Vendiæ* (videant lectores, si vera ista sunt, necessario *Genealogiam Principum, & Ducum Bohemiæ* claudicare; id quod ego sæpius etiam ex aliis causis animadverti) Sequitur in eodem Libro catalogus eorum Principum, qui in gratiam *Henrici Germaniæ Regis* electi suis sumptibus bellum in Hunnos gessere, interque eos *Bratislaw* (*Wratislaw*) *Dux Bohemiæ* cum 400 Equitibus, quem numerum nullus Imperii Principum æquavit; nam alii 300, alii 200, aliis tantum 100 duxere aut submisere. *Bratislaum*, quem modo nominavi, *Conradus Franconiæ Dux* inter suos, seu in *Circulo Franconico* numerabat; atque ita in *Circulo Bavarico S. Wenceslaus*, & *Grotzomislaus*, ille *Bohemiæ Dux*, hic *Moraviæ Marchio* censebatur; in *Franconico*, ut modo diximus, *Wratislaus*; in quibus circulis alii numerati sint, non constat. Videat

rurſus Lector, quanta tum jam *Nobilitate* Corona Bohemiæ floruerit: nam poſt Nobilitatis incorruptæ examen, *Wratislaus Dux Bohemiæ* cum 65 galeatis obryzæ, & probatæ nobilitatis *Equitibus Bohemis*, ad ludos ipſos admiſſus eſt; *Meſſico Dux Poloniæ* cum 32: *Boleslaus Marchio Moraviæ* cum 40. *Wratislaus Dux Sileſiæ* cum 36 galeis (ut illi vocabant) ſeu generoſæ, & antiquæ *Nobilitatis Dynaſtis*, & *Equitibus*. Porro inter quatuor puellas Virgines ex clariſſimis Germaniæ totius familiis electas, quæ gratias agerent iis, qui ſe ſe Heroës probarant, aliosque dexteritate, haſtis vicerant, tertia fuiſſe ſcribitur (non additur nomen) Wratislai Bohemiæ Ducis filia, quæ gratias egit *ſtrenuo Equiti Lotharingiæ Eberhardo*. Paulo latius hæc commemoravi, ut videant poſteri noſtri, quanti antiqua *Germania Slavicam* & *Bohemicam* Nobilitatem fecerit, neque degeneres ſint, & ſe in Patria honoratiſſima natos aliquando intelligant.

Secundum Torneamentum (ſeu haſtarum Equeſtrium decurſus) *Rotenburgi* A. C. 942 *Conrado Franconiæ Duce* inſtituente celebratum: *Wratislaus* (Pannerherr) *de Schamberg* (*Zamberg* vel forte *Schwamberg*) *Wenceslaus* (Pannerherr) *de Pardowicz* (*Pardubicz*) *Wenceslaus Pannerherr de Sternberg*: hi tres in eo volumine ab elegantia, & arte torneandi (barbaris vocibus in re antiqua utor) mire commendantur, atque ipſa prima ludorum die decurrunt, quos alii Dynaſtæ, & Barones Imperii ſequuntur.

Tertium Torneamentum Ludovicus Sueviæ Dux A. C. 948 inſtituit *Conſtantiæ*; inter *decurſores ex Bohemis* unicum reperio *Wenceslaum Pannerherren* de *Novadomo*. Hic ter in actis ludo-

ludorum legitur; cui ſingulari Præfectorum gratia bis decurrere, & virtutem ſuam nobiliſſimis ſpectatoribus approbare conſenſum fuit.

Quartum Torneamentum authore *Ridacko Marchione Miſſniæ* A. C. 968. *Merspurgi* prima Marchionis civitate celebratum eſt. Principes noſtri fuere: *Wenceslaus Dux Bohemiæ*, & *Wratislaus Princeps Sileſiæ*, in chorea ducenda ratio dignitatis habita eſt, ad ſecundam choream poſt *Ridackum* (cui velut authori primæ partes merito deferebantur) *Wratislaus Sileſiæ Dux* cum *Saxoniæ Duciſſa*, Principe matronarum, duxit, tertium chorearum agmen egit *Henricus Dux Bavariæ* cum filia *Wenceslai Ducis Bohemiæ*. Quartus choragus fuit ipſe *Wenceslaus Dux Bohemiæ*, & comparem habuit *Marchioniſſam Franconiæ*.

Quintum Torneamentum authore Ludolpho *Marchione Saxoniæ*, & *Domino* in *Brunswig* in eadem Brunswicenſi urbe celebratur A. C. 996. Inter primos, qui certant, & haſtis concurrunt, *Neſtricus Bohemiæ Dux* legitur; qui clypeos inſpicerent, & an proba ſint omnia, examinarent, delecti *Seybold de Ssleinicz*, & *Humprecht de Carlovicz* &c. In choreis veſpertinis ſecundo loco choream & agmen ducit *Otto Dux Saxoniæ* & *Lawenburgi cum Petriſſa Neſtrici Bohemici Ducis Conjuge* &c. quintum chorearum agmen oblatum ipſi *Neſtrico Duci Bohemiæ cum Adelheide uxore Berengarii Comitis de Aſcania*, ex qua ſtirpe procedunt Principes Anhaltani.

Sextum Torneamentum *Conradus* II. *Imperator*, *Saxoniæ Dux Treviris* A. C. 1016. 6. Februarii celebravit (legendum eſt A. 1026. cum *Conradus* A. 1016. nondum imperarit) ex *Bohemis*, tum ob bellum, quod jam tum *Conradus* in Bohemos *moliebatur*, tum ob locorum di-

ſtantiam, adfuere pauciſſimi; admiſſi tamen *Fridericus de Sternberg, Georgius de Bibrſtein, Johannes de Planicz, Johannes de Belwicz, Albertus de Maldicz.*

Septimum Torneamentum authorem habuit *Henricum III (IV, ſi Henricum Aucupem inter Imperatores* reponas) *Franconiæ Ducem* A. C. 1042. Hallis in Saxonia convenit Nobilitas; interfuit, decurritque ex Principibus noſtris *Burtzineus* (*Brzetislaus* legendum) *Bohemiæ Dux*, Achilles Bohemiæ; quem nihil dubitem virtutis, & fortitudinis ſuæ documentum inſigne aliquod edidiſſe; cui etiam inter choragos tertius datus eſt locus; Choream peregit cum Marchionis Brandeburgici conjuge. Inter Proceres ex Bohemis leguntur: Wenceslaus (Pannerherr) de Wartemberg; Wenceslaus (Landtherr) de Pardubicz; Ladislaus (Pannerherr) de Novadomo; Wilhelmus (Pannerherr) de Seberg; Chriſtophel (Pannerherr) de Czaſtolowicz; qui omnes primi in certamen deſcendiſſe commemorantur; præter hos in ſecundo ordine ludorum legitur: *Andreas* (Edlerherr) de *Lippa*; Domini vero de *Wartemberg* & *Czaſtolowitz* (quod gratiæ & fortitudinis non leve præbet argumentum) bis decurrere. Multi ibidem nominantur ob inobedientiam, aliaque peccata verberati; ex Bohemis nullus.

Octavo Ludi celebrato *Auguſtæ* ab *Hermanno Duce Sveviæ* A. C. 1080. ex *Bohemis* & *Moravis* nullum adfuiſſe lego (præter unum *Dominum de Sternberg*, & alterum de *Lichtenſtein*) quod hoc ipſo tempore cum *Wratislao Duce* ſuo adverſus *Rudolphum Sueviæ Ducem* bellum gererent.

Nonum Torneamentum Ludolpho, vel *Lothario Duce Saxoniæ* convocante in eadem Saxonia

nia

nia Göttingæ habitum est A. C. 1119. decurrit in eo *Wratislaus* (legendum arbitror. *Wladislaus*) *Bohemiæ Dux*. Inter matronas illustres, quæ judices ludis præsidebant, refertur: *Elisabet nata de Harras* (*Herzaniæ* stirpis in *Bohemia* celebratæ). *Theodorici de Minckwicz*: ibidem paulo post nominatur *Clara Herula de Harras*, sine dubio Elisabethæ soror. Inter decurrentes, & hartas in adversarii corpore frangentes leguntur: *Andreas de Sternberg*, *Henricus de Martitz*, *Ludovicus de Carlovitz*, & *Fridericus Dux Sueviæ* in vespertino choragio saltavit cum *conjuge* Wratislai, aut potius *Wladislai Bohemiæ Ducis*. Bunting. hist. Brunsw. p. 111.

Decimum Torneamentum habitum est in *Thuricensi Civitate* (zu Zürch) per *Guelfonem Bavariæ Ducem* A. C. 1165. Inter alios Proceres: *Wenceslaus de Sternberg*; inter Equites *Thomas de Harrach*, & *Albertus de Lichtenstein* ex *Styria*. Cum comite *Papone* advenere *Wilhelmus de Sternberg* &c. Cum *Comite Ottone de Nassau*, *Anselmus de Heussenstein*. Et sic Catalogus eorum Dominorum, qui suis sumptibus ad Torneamentum venere, & inter Equites primus legitur: *Albertus de Pernstein* (ego existimo *Albertum* hunc ex *Misnica*, non ex *Bohemica Nobilitate prodiisse*, idem sentio de *Dominis* de *Waldek*, quorum nomina passim in eo volumine leguntur ex Imperii scilicet Nobilitate, non ex nostra) Adfuit etiam huic hastiludio inter alias *Principes fœminas cum Conjuge suo Leopoldo Marchione Austriæ Maria nata Ducissa Bohemiæ*. Memorabile est, tantam fuisse *Domus Palatinæ* seu *Bavaricæ* hoc tempore fœcunditatem, ut in his ludis triginta quatuor Principes, & Comites de nomine recenseantur, ex ea orti familia.

Undecimum Torneamentum actum eſt *Coloniæ* A. C. 1179. a *Florentio Hollandiæ* & *Selandiæ Comite*. Ex *Bohemis* nullus adfuit, bello civili domi occupatis.

Duodecimum Torneamentum Noribergæ celebratur A. C. 1198. (exiſtimo mendum in numeros irrepſiſſe, & legendum A. 1189. nam A. 1198. *Fridericus Dux Bohemiæ obierat*, & *Wenceslaus attinebatur carceribus) ab Henrico Sexto Imperatore*, in hiſtoria Ludorum aliquoties leguntur, & haſtis decertant, tum *Fridericus Dux Bohemiæ* tum *Wenceslaus Marchio Moraviæ*. *Friderico in choragio primus datus eſt locus*, *tertius Marchioni Wenceslao*.

Decimum tertium Torneamentum exhibetur *Wormatiæ* A. C. 1209. ipſis *Equitibus Rhenanis* ejusdem circuli indicentibus, & hoſpites invitantibus; inter Principes nomen legitur *Pſſemislai Ducis Bohemiæ* (exiſtimo *Wenceslaum* ſcribi oportuiſſe, *Regis Bohemiæ filium*, *Patris Przemislai* nomine velut celeberrimo, in actis illis notatum, niſi forte ipſum *Przemyslaum Regem* decurriſſe dicamus) hic eo ludo tantum admirationis, & gloriæ collegit, ut inter *quatuor*, qui ſoli præmium retulere, primus *Przemyslaus* præmiatus ſit, oblata ei Corona cum aureis annulis duodecim, quæ æſtimata fuit 1200. florenis Rhenenſibus ex ea cauſa, quod, ut ille vetus Codex loquitur: *in Nachthurnier mit ſtechen, in hohen Zeugen das Beſte gethann hatt.*

Decimum Quartum Torneamentum habitum *Herbipoli Nobilitatis Franconiæ ſumptibus* A. C. 1235. (niſi forte, quod hic contigiſſe video, ſit in numeris error, aut *Friderici loco* nomen aliud legatur) Interfuit *Rex Bohemiæ* cum fra-

tre

tre suo *Wenceslao Marchione Moraviæ.* Inter *Barones* leguntur: *Greislaw* (corruptum est nomen) *Pannerherr de Sternberg*, *Wenceslaus Pannerherr de Sswamberg*, *Vida Pannerherr de Wartemberg.* Quarto loco choragum egit *Fridericus Bohemiæ Dux*, & septimo *Wenceslaus* ejus frater; post hæc tempora, cum *Reges Bohemiæ coronati*, ac præsertim hoc tempore irritabilis, & Nobilitatis *Bohemiæ* hostis *Ottogarus* cum Germanico Imperio nihil sibi commercii esse vellet, abstinuere a frequentandis hastarum Ludis *Bohemiæ Barones*, ac *Nobiles*, secuta etiam sunt diffidia inter se nationum (præsertim *Hassorum* & *Francorum*) sic ut contra omnem ordinem ex Ludis seria fierent certamina, & fraude non ferenda armis veris, & ferratis cuspidibus adversarios occiderent, ideoque multi a *Ludis* præcipue *Hassi equites* proscripti arcerentur: cessant magna parte *hastiludia* universæ nationis, & nationales potius ludi celebrari cæperunt, quod etiam factum a *Bohemis* paulo post referemus. Enumerantur a *Ruxnero triginta sex Torneamenta*, sed non ea solennitate, neque germana fide peracta, ultimum, seu trigesimum sextum Torneamentum Wormatiæ A. 1487., celebratum. Post quem videmus (verba Münsteri recito) *vulgus nobilium pro magna parte degenerasse in manifesta vitia id quod, proh dolor! nemo non novit, coërcuit illos non nihil ignominia illa, qua in Ludis Torneamentorum publice confundebantur, jam vero illo retinaculo quoque submoto impune ruunt in vitia: &: suas exequuntur cupiditates.* Hæc Münsterus quæ utinam vera non forent. Nominabo tamen ad finem historiæ hujus de *Torneamentis*, si qui ex *Nobilitate Coronæ Bohemiæ* quasi per errorem ad Ludos ipsos accessere: Ludis mili-

Münst. L. cit

taribus A. C. 1284. *Ratisbonæ* ad festum S. *Michaëlis* celebratis adfuit *Ioannes Silesiæ Dux Lignicensis*; inter *Equites* duo *de Seidlitz*, *Schweinfurti* A. C. 1296. *Joannes de Sternberg*. *Bambergæ* A. 1362. *Otto de Sslenitz*, *Wilhelmus de Harras*. *Notandum Herbipoli* in 28. Torneamento A. C. 1479. constitutum esse, ut arcerentur omnes etiam illustrissimæ familiæ, si quorum majores ab annis 50 nulli hastiludio Germanorum interfuissent. Hoc decreto plurimæ Imperii familiæ, & *Bohemica Nobilitas* omnis quodammodo exclusa fuit, atque ita contempti contempsere, neque in posterum, ut comparerent, magnopere sibi laborandum esse duxerunt, tandemque ipsa *Torneamenta* cessarunt. Hactenus ex Rüxneri libro excerpta.

Porro gentem Bohemam aptissimam *Torneamentis*, & Militaribus illis Ludis, qui equo potissimum peraguntur, communis *Germaniæ* universæ in antiquitate sensus fuit. Vide Hagecii historiam. Narrat is Bohemos in hastis *frangendis* in *æmuli* corpore, in dejiciendo adversario, in decursu ad annulos, in Quintana, ut vocant, aliisque ejusmodi Equestribus certaminibus palmam tulisse. *Nachodiana Bohemiæ* stirps (*Berkarum* Procerum ramus) & ex ea *Hron de Nachod Legatus*, tum *Gallus Gablonsky*, & *Smilo Swietliczky Legationis* Socii A. C. 1273. ad *Lugdunense* Concilium a *Przemyslao II. Ottogaro* missi, ingentem ex Equestribus illis ludis reportavere gloriam, & Bohemicæ gentis famam auxere, *Cæsare Rudolpho I. Georgio X. Papa*, *Michaële Constantinopolitano Imperatore* spectantibus, celebrati Ludi sunt: *Hron* de *Nachod* multum Equestri

gloria

gloria commendatus est ab omnibus; at *Gablonsky* primo ludorum die (1. dies erat May) Donum (solenne verbum in ludis est Dank) ante omnes retulit; die sequenti *Smilo* (vide viri robur) *terdecies* cum adversariis concurrit, et nunquam ipse dejectus, adversarios deturbavit ex equis; *Dux Brabantiæ* clarus alioqui in eo genere Princeps postremus cum *Smiloni* certamen obtulisset, procul ab equo præcipitatus est; cumque jam *Smilo* adversarium non haberet, equo concitato in vicinum murum hastam obvertit, eamque uno impetu in tres partes confregit, tanto suo, & equi connisu, ut ille postremis pedibus quasi succisis, subsideret in alvo; quod spectaculum omnibus Principibus admirabile visum est; Ideoque Rudolphus I. Imperator Clypeos eorum commutavit, & in perpetuam rei memoriam illustravit. *Nachodio loco quercuum Berkianarum decussatarum*, in aureo campo *Leonem nigrum* dedit, *Gallo Gablonsky Clypeum aureum* divisum per medium; *Smilonem Swietliczkium* in rubro campo *argenteum Carpionem* ferre jussit. Hunc Clypeum ad nostra usque tempora *Nachodii* tulere; duorum reliquorum posteritas Patrum memoria periit, & in Clypeis, quæ descripsi, gestavit.

Welesl in Cal. hist. ad 1. Maii Hagek fol. 251.

Sub Georgio Rege Aulas omnium *Europæ Principum* percurrere *duo Bohemiæ Barones*: *Leon de Rozmital, Reginæ Iohannæ Germanus frater*, cujus posteritatem adhuc in *Moravia* videmus, & *Ioannes de Zbiroh Leonis Patruelis, Stirpis Hazmburgicæ clarissimæ* (quæ memoria nostra, proh dolor! interiit) ubique virtutis suæ & fortitudinis Equestris in Ludis hastarum memoriam reliquere; exstant ea certamina descripta *Bohemice* &

Latine typis edita, ea latine vulgavit *Stanislaus Pawlowsky Olomucensis Episcopus;* ad quem Libellum, quia res scitu dignissimas continet, remitto Lectores.

Philippum bonum Burgundiæ Inclytum Ducem, & *aurei Velleris Equitum Authorem,* duorum istorum *Bohemorum Juvenum* tanta admiratio cepit, ut dexteritate illa, & fortitudine in Equestri hastarum ludo utriusque percepta, æstimatione virtutis torquem aureum suum collo detractum *Leoni* in collum injecerit, & alterum similis ponderis allatum *Ioanni Hazemburgio* obtulerit; unde in vetustis *Leonum* & *Hazemburgicorum Clypeis Aurei Velleris torquem Clypeos* circumeuntem non semel spectavi; etsi in *ordinis* ejus *historia* nomina eorum non legantur: sed in aliis quoque Authoris illius negligentia apparet, ut complures ante me notarunt. Ad *Torneamenta,* & *Equestres Ludos* ac cætera spectacula in Bohemia præcipue, aut in ejus vicinia exhibita, veniamus.

§. II.

Idem Argumentum de Ludis publicis & Spectaculis, quantum ad Bohemiam spectant, continuatur.

Honori *nostræ nobilitatis* & antiquæ *Bohemorum* virtutis, roboris, ac dexteritatis, hoc *caput* consecro, dedicoque, ac præcipue *hastarum Equestres Ludos* (seu recepta jam voce) *Turnier* seu *Torneamenta,* tum etiam *Quintanæ,* ut vulgo appellant, decursus, ac cætera celebriora spectacula, & pro *annulo* in stadio certamina in *Bohemia* potissimum peracta tractabo: ordinem temporum tenere non possum. *Miscellanea* scribo, prout se res offerunt, ac sub acumen styli veniunt,

unt, ex adversariis excerpo. Nomen *Turnier* unde veniat, disputatur: a Turno plerique nomen illud deducunt; quis in *Germaniam* primus Torneamentorum ludos tantopere, & tam studiose, & religiose a nostris majoribus cultos invexerit, superiore capite memoravimus. Quintana (*κοντανος Iustiniano Imperatori*) a *Quinto* Inventore nomen accepit, in ea ad ligneum Clypeum, scopumque versatilen decurritur; plura ejusmodi ex ipsa narratione intelligentur. Celeberrimum, quod ab annis centum legerim spectaculum *Maximilianus Rex Bohemiæ Viennæ* exhiberi fecit A. C. 1560. *Augustissimi Parentis sui Ferdinandi I. Imperatoris* & *Alberti Ducis Bavariæ* hospitis honori: descripsit totam Ludorum istorum Pompam *Ioannes Francolinus*, & Librum ipsi *Maximiliano Regi Bohemiæ* dedicavit, nominabo in gratiam Nobilitatis, ut jam ante præfatus sum, nomina *Baronum, & Equitum in Bohemia* & *Coronæ Bohemiæ* annexis *Provinciis* natorum, qui in hoc spectaculo pars magna fuere.

Henel. in Silesiograph. C. 5.

In primo Agmine Equitum unius, & quadragenorum: *Fridericus Ludovicus de Malevitz, serenissimi Ferdinandi Archi-Ducis AustriæCulinæ Præfectus; Wenceslaus Auliczky, Iaroslaus Liebsteinsky de Kolowrat, Ioannes de Sternberg; Wilhelmus Mirzkowsky, Georgius Iablonsky; hi Dapiferi Regii fuere, tum Ferdinandus de Loksan Regius Pocillator, Ladislaus Borinie Præcisor mensalis; tandem Christophorus de Sswamberg, Ioannes de Ronsperger, Wilhelmus ab Oppersdorff, Ioannes Posadowsky, Petrus Berka, Henricus Comes a Guttenstein, Fridericus de Czernhaus, Petrus Biesin, Petrus Kaplirz.* Omnes hi ex antiqua Bohemiæ Nobilitate; & hi quidem in primo agmine, cujus ductores fuere: *Georgius*

Francolin. in lud. Maximil. Regis Bohemiæ

Brzez. in vita Wilhelmi de Rosis. Mf.

gius Proskowsky Maximiliani Bohemiæ Regis Camerarius Baro, & alter Adamus Baro de Kraiku (*Germanis de Kreide*)

Quinti agminis certantium Ductor *Petrus Dynasta* de *Rosenberg* fuit, sub eo certaturi: *Ioannes Spanowsky de Lissa, Paulus Powinsky de Piesicz, Ioannes de Kreiku, Ioannes Geraltowsky de Gersdorff, Wenceslaus de Dona, Ioannes de Wartemberg, Henricus de Ssleinicz, Ioannes Iunior de Martinicz.*

Sexti agminis Ductores: Wratislaus de Pernstein Dominus in Towaczow Eques aurei Velleris, Camerarius Regis, & Bertholdus de Lippa Marescallus hæreditarius Regni Bohemiæ, itidemque *Regis Camerarius;* in hoc agmine censi sunt: *Ernestus Archidux Austriæ* (dilectus *Maximiliano Regi filius*) tum primum septennis, ac *Rudolphus* (*postea Imperator*) octennis.

In agmine nono præcipui *Georgius Proskowsky de Proskow Commendator in Grebnik,* & in isto agmine *Aventurir* (Latine dicere non habeo) *D. Ladislaus Popel a Lobkowicz S. Cæsar. Maj. Camerarius.* Hujus *Ladislai* vestes, & arma latissime describit, ac pene depingit Francolinus, aitque omnium oculorum rapuisse.

In undecimo agmine inter præcipuos nominatur *Ioannes Kinsky S. Cæs. Maj. Ferdinandi I. Dapifer.* Mirifice commendat Author horum omnium dexteritatem in *Foglia,* ut ille vocat, & in *pedestri Torneamento.* Choreæ deinde ductæ sunt, & post eas quinque viri personati saltarunt, videlicet: *Serenissim. Archid. Ferdinandus* & *Carolus, Wratislaus de Pernstein, tresque alii,* quorum nomina non habet. *Judex in Equestri Torneamento* nominatur *Adamus* de *Ssmekovicz, Maximiliani Regis Camerarius. Serenissimum Carolum*

Ar-

Archiducem equitantem sequebatur, & ipse *Eques D. Proskowsky de Proskow Junior* & *Præfectus* Urbis *Trenczinii*, *Regius Pocillator*. *In secundo novo agmine Bertholdus Baro de Lippa* superius nominatus. *In sexto agmine: Ioannes de Sternberg Dapifer serenissimi Archiducis Ferdinandi*; tum *Zdislaus Borinie Præcisor Archiducalis*, & *Petrus Biessin*. *In decimo agmine Deæ* habitum indutus, velut *Cybele*, *Iuvenis Ioannes Chinsky S. Cæs. Maj. Dapifer*. In petra artificio summo conclusus cernebatur *Casparus Baro Columna S. Cæs. Maj. Doriphororum Præfectus*.

In Ludo hastarum palmas omnibus præripuere quatuor, ideoque recepto more a *Virginibus puellis* præmia recepere. Secundum & quartum in tanto certantium numero, ex tot, tamque diversis Nationibus *Ioannes Chinsky de Wchinicz S. Cæs. Maj. Dapifer*, annulo aureo, Iudicum omnium consensu, donatus, quod eleganтissime artes Equestres peregerit, & præ aliis omnibus fortissime æmulum perculerit, & hastas ejus confregerit. *Quartus* præmiatorum *Wratislaus de Pernstein* nominatur, supremus deinde Bohemiæ Cancellarius.

Hæc spectacula tandem aliis diebus in militares turmas desierunt: placet, cum eo processum sit, eorum, in honorem Nobilitatis hoc loco apponere nomina, qui militiæ Aulicæ ex Bohemis & Moravis adscripti id temporis fuere: Equitum Magister sub serenissimi *Caroli Archiducis Austriæ* Legione Equestri: *Przimek Prussinowsky de Wiczkowa*. *In Serenissimi ejusdem Archiducis* turma Equitum, quam ipse ductabat, plerique eorum, quos ante nominavi ex *Bohemis* censebantur, quorum nomina supervacaneum est iterum recitare.

Alius

Alius Equitum *Magiſter Wratislaus de Perenſtein*, *ſub quo Equites Iulius Comes de Salmis, Ladislaus Popel a Lobkovicz, Ioannes de Wartemberg, Bohuslaus Drahanowsky, Ioannes Kapaun* de *Swogkowa, Zdienko Hodiczky* de *Hodicz*; ſub aliis *Equitum Magiſtris* milites: *Sigismundus Rageczky, Ladislaus de Mezerzicz, Ioannes Spanowsky de Liſſa, Udalricus Miczan de Klinſtein, Wenceslaus Wchinsky, Georgius Waleczky, Marquart Rageczky, N. de Zeidlicz, Chriſtophorus de Noſticz Dapifer Cæſareus. Quartus Equitum Magiſter: Georgius Proſkowsky, Maximiliani Regis Camerarius;* ſub eo militantes: *Erneſtus Comes ab Ortenburg, Comes ab Hardek, Pucheim, Preiner, Ioan. Chinsky, Ioan. Proſkowsky, Chriſtoph, de Sswamberg, Petrus Bieſſin,* aliique. *Quintus* & ultimus Equitum *Magiſter Ioan. Geraltowsky* de Gersdorff; ſub eo militantes plurimi Comites & Barones ex Bohemis: *Ioan. Haugwicz, Henric. Ssleinicz, Ioan. Iunior de Martinicz.*

Conſequentibus diebus novos *Ludos Ferdinandi Cæſaris Maximiliani Bohemiæ Regis honori* ſplendidiſſimo apperatu edidit *Legatus Hiſpanicus Claudius Ferdinandus de Guinones Comes* de *Luna;* enumerantur nobiliſſimi Iuvenes ex annexis Coronæ Bohemiæ Provinciis: Tertius *Mantenator* (ſua rebus novis vocabula relinquo) ſæpe jam nominatus *Georgius Proſkowsky Regis Camerarius,* cujus clypeum ante ipſum ferebat, *Baro Ludovicus Ungnad,* ſcilicet *Soleam & Cervos*; in Clypei marginibus felici inventione legebantur hæ voces cum numeris: Sie 8. mein 3. für O. *id eſt: Amata æſtimat meam fidem pro nihilo. In agmine* ſeptimo *Petrus de Roſenberg & Ladislaus Popel de Lobkowicz*, aliique primariæ *Nobilitatis* omnes in ſtramineis veſtibus, ſummo labore,

&

& pretio confectis, nova, & inaudita ad id tempus inventione. In decimo quinto agmine & ultimo *Serenissimi Archiduces Ferdinandus & Carolus* turmam Equitum ducebant, quos inter præcipue e Bohemis ante nominati ac præsertim *Georgius Iablonsky*, *Wilhelmus Mirzkowsky*, *Iaroslaus Liebsteinsky* de *Kolowrat*, *Fridericus de Czernhaus*, aliique. Propositum erat certamen cum præmio, qui ex omnibus aut rarissimo, ingeniosissimo aut ornatissimo vestium cultu compariturus esset, quam laudem & Iudices omnes, & spectatores *Ladislao Popelio* de *Lobkowicz* tribuerunt, ideoque aureo donatus est annulo, in qua vestes duo Imperialium millia consumpsisse *Francolinus* affirmat, additque eam summam pro viri dignitate, & opibus satis exilem sibi visam esse.

Hactenus Viennenses Ludi ex Ioanne Francolino: Bohemiam repetamus.

Inter celebriores, quos Praga vidit, Ludos & spectacula, merito censeri debent; quæ A. 1570. *Maximilianus II. Imperator* a 26 Februarii per aliquot continuos dies in foro antiquæ Urbis Pragensis exhibuit; aderant *Cæsari Ferdinandus Frater*, *Augustus Elector Saxoniæ*, *Ioannes Georgius Marchio Brandenburgensis Elector*, *Albertus Bavariæ Dux*, aliique *Imperii Principes* ac *Proceres* maximo numero. Variæ ibi luctæ, certamina, cæstus, ad annulum decursus, hastiludia, & torneamenta, victorum nomina Spectaculis sequentibus quodam modo obruta sunt, sumptuosissimis inventis. Ætna mons ingens visebatur flammam & fumum emovens, ex quo corvi, aliæque volucres evolabant. Missiles ignes artificiosissime parati promicabant: exhibitus flammeus *Draco* ingentis magnitudinis, *Perseus* cum ca-

Welcslav. in Calend. Hist. 26 Februar. Mf. Chroli. Universitatis.

capite *Medusæ*, alato insidens *Pegaso*, *Leo* vivus eductus in carceribus ligneis, & super eum fama, geminas tubas inflans postea, *Elephas* (tum adhuc rarum in Germania spectaculum) cui *Porus Indiæ Rex* regali insidebat ornatu; *Elephas Cæsarem*, ejusque Conjugem salutans, genua flexit, alium nullum ex tanto hospitum Principum numero illo honore dignatus. Hæc spectacula *Bohemus Poeta* his versiculis eodem tempore descripsit, quos hic memoriæ causa subjicimus.

Magnifica exhibuit nuper spectacula *Cæsar*,
 Vidit ubi antiquos Inclyta *Praga Duces*,
Vidimus hic, tetros spirantem naribus ignes
 Custodem fructus Hesperethusa tui;
Vidimus Æthnæa volitantes rupe favillas,
 Fulmine prostratus, quas vomit *Enceladus*;
Indicus hic *Elephas*, hic horrida terga *Leonis*
 Pegasus hic alis conspiciendus erat.
Non aberant *Musæ*, non carminis Author *Apollo*.
 Nec cum germanis *Gratia* blanda suis,
Hic *Medea* fuit claro comitata *Marito*,
 Cui *Furiæ* horrendis accinuere tubis.
Hic *Meleager* erat, fuit hic *Danaeius* heros,
 Iunctus & *Ægides* hic tibi *Zethe* fuit.
Advenere etiam *Thomyris*, fortisque *Camilla*
 Queis conjuncta furens *Penthesilea* fuit.
Duxit & in medium lunatis agmine peltis
 Nobile *Amazonidum Wlasta*, *Bohema*, decus.

Ego, cum ipsa spectacula videre datum non sit, Carmen admiror; delicatum Vinulum; ex hoc ungue, quantus *Poeta*, *Adamus Cholossus* fuerit, cuique erudito licebit conjicere.

Theobald. in Huss. P. 2. C. 20. *A.* 1453. 28. *Octobr.* post *Coronationem Ladislai Regis* Equestres habiti Ludi *Pragæ* sunt, ut habet *Theobaldus*. Iidem Ludi longe magnificen-

centius exhibiti in eodem foro Pragensi Anno 1454. 28 Iunii.

A. 1482. *Nobile Torneamentum Pragæ* in foro ipso Urbis a *Rege Wladislao* exhibitum. Ita Ms. nihil addendo. *Rosensis* historia Ms. adjicit, *Wokonem* de *Rosis* ex parte *Regis* decurrisse, & egregiam commendationem ab omnibus retulisse. Hujus *Wokonis patruus*, seu *parentis frater Henricus VI.* in historia *Rosensi* calamo exarata, summe a decurrendi, & hastis concurrendi arte laudatur, huic uni studio adusque vitæ periculum se se dediderat: cum *Silesiæ* & *Lusatiæ Capitaneum Wladislaus Rex Henricum* creasset, *Wratislaviæ* cum *Alberto Marchione Brandeburgico Achille Germaniæ* ex provocatione decurrit; ac primo quidem decursu equo deturbatus est, & monile aliquot aureorum Alberto dare debuit, at repetito certamine Albertum equo deturbavit, & equum 100 florenorum Ungaricorum pretio æstimatum lucratus est. Ms. Budvicense. Ms. Rosense in Wokone. Wenceslaus Brzezan. in hist. Rosen. Ms.

A. 1527. *post Ferdinandi I. Coronationem Bohemicam*, & in Arce *Pragensi* & in foro *Urbis Veteris* hastiludia narrat Pragensis historia, in quibus tamen ex *Bohemis* pauci interesse voluerint; non adjicit causam Scriptor. Eodem tempore *Torneamentum* pedestre in *Palatio* celebratum, ubi innumeræ grandes cereæ faces arsere. Barhol Piccar. in hist. Prag. L. 4. C. 11. Ms. Cuttn.

Celebres fuere *Trojani Ludi*, & cum hastis decursus *Plsnæ* A. 1555. instituti die S. *Mathiæ*, cum *Andreas Ungnad* seu *Weissenvolf Domino Iaroslao de Kolowrat filiam daret in conjugem*, decurrit ipse *Archidux Ferdinandi I. filius*, tum cætera *Bohemiæ, Austriæque Nobilitas*; quos Ludos Wenceslaus Brzezan latissime descripsit, Brzezan in vit. Ms. Wilh. de Ros. Brzezan ib. Ms. Pragense.

A. 1585. 6. Iunii *Hastiludia Pragæ* in *Arce* habentur.

A. 1575. 28. Augusti *Ludi Equestres Pragæ* inchoati, exhibente *Rudolpho Rege Ungariæ*, & *Ernesto* ejus fratre. Laudatus est, retulitque præmium *Archidux* Mathias. Die sequenti hastis concurrere pedites, exhibente ludum Mathia *Archiduce*, & fratre ejus *Maximiliano*; *Mathias* iterum præmium reportavit, & post eum Wrzesowecius Eques.

Mſ. Prag. A. 1578. 31. Augusti, in foro Veteris Urbis Equestres ludi & certamina tribus continuis diebus plusquam regio apparatu producuntur in honorem Nuptiarum *Comitis Fürstenbergii cum Isabella D. Wratislai de Perenstein filia*, centum millibus florenorum hos ludos *Cæsari Rudolpho* constitisse scribunt.

Mſ. Prag. A. 1579. In eodem foro *Pragensi* ad *Annulum* Equestres decursus aliaque ejusmodi spectacula rursus edidit *Cæsar* 6. Iulii, honorans *Nuptias Christophori de Lobkowicz* sui Camerarii & Consiliarii; adfuere *Bavariæ & Lignicenses Duces*.

Mſ. Prag. Eodem Anno 21. Septembris. *Novædomi* Soror *D. Adami de Novadomo nubebat filio D. Christophori de Lobkowicz* in *Berzkowicz*; Ludi Trojani cum collisione hastarum exhibiti; interfuit *Bavariæ Dux*, & præcipui *Bohemiæ Proceres*.

Mſ. Prag. A. 1584. Concursum hastis pedestris certamine in *Arce Pragensi* 14 Octobr. *honori Nuptiarum Nicolai de Lobkowicz* Capitanei Antiquæ Urbis Pragensis.

A. 1586. *Nuptias* summa magnificentia celebravit *Iunior D. de Sternberg*, qui *filiam D. Ioannis Wchinsky Burgravii Carlsteinensis* ducebat uxo-

uxorem. Altero die ad Annulum in arce decursum est.

A. C. 1590. 5. Martii. In honorem *Nuptiarum Illustrissimi D. Wenceslai Liebsteinsky de Kolowrat*, Domini *Busstiehradensis & herulæ Sophiæ de Lobkowicz* filiæ *D. Ladislai Senioris*, olim *Supremi Præfecti Regni Bohemiæ*, exhibitum, ut vocant *Torneamentum*, in arce Pragensi ante Palatium; decurrit ipsemet *Archidux Ernestus*, tandem Sponsus cum 26. Equitibus pro pecunia, & cimeliis quibusdam: hic judicio omnium præmium maximum tulit. Mſ. Prag.

A. C. 1597. Ludi Equestres habiti sunt *Pragæ* in maxima hospitum frequentia; describit eos heroico versu insignis Poëta Ioannes Czernovicius. In decursu ad Annulum omnes vicere, & a Cæsare raris honestati præmiis stadio excessere: *Wenceslaus Dynasta* de *Kolowrat*, *N. Burgravius de Dona*, & *Radolphus Dynasta Trczka de Lippi*, quem tertium, jam decrepitum puer novi. Czernow. L. 3. de Bello Pannonico

Anno sequenti capto Iaurino Adolphus Schwartzenbergicus in castris non Torneamenta quidem, aut Equestria belli Simulacra edidit, sed lætitiæ testandæ gratia, certamina quædam cum præmio militibus proposuit e. g. quis grande saxum longius manu jaceret. &c. *Bohemus miles* inventus est, in hoc certamine victor, quem nullus omnium in castris æquare potuit; tam procul ille saxum illud manibus mittebat, ut omnibus esset miraculo; describit hoc certamen idem *Czernovicius Virgiliano carmine*.

A. C. 1616. *Sub Annæ Reginæ Bohemiæ Coronationem*, *Ludi Trojani* celeberrimi *Pragæ* in ejus honorem instituti, quos in Annalibus suis Zavieta de Coronatio-

ne Annæ Imperatricis. *Khevenhiller* descripsit; multi *ex Bohemiæ Nobilitate* retulere dexteritatis, fortitudinis, & periтiæ ludendi præmia; præcipuos inter *Ulricus Khinsky* numeratur, præmio insigni remuneratus.

CAPUT XV.

De Regiis in Regno Bohemiæ Reditibus, de Tributis, quæ Regi annuatim penduntur. Adducitur Taxa antiqua Bernarum; quid singulæ Civitates Regi olim dependerint. Item Subsidium Bernale, quod Regibus Cænobia pendebant. De S. Petri denario, an eum aliquando Bohemia persolverit. De Cameralibus bonis, & ditionibus: quænam illæ sint, fuerintque, quas Veteres Patrimonium Regis nominabant. Aliquid etiam de Dotalitiis Urbibus Reginarum Bohemiæ.

Jam de Regiis reditibus aliquid sine invidia cautissimeque dicendum; Patrum memoria populi multitudine, & divitiis florente id temporis Bohemia Regios reditus quotannis ad quadraginta Germanicorum aureorum millia (id est ut Stransky computat grossorum Bohemicorum Sexagenas centies septuagesies semel mille, quadringentas & triginta) ascendisse *Nicolaus Bellus* affirmat. Canon annuus ex ditionibus *Cænobiorum* (*quæ Cænobia* post bella Hussitica deserta & religiosis vacua stabant, & quæ hæretici *Sacrorum Canonum* rudes ad *Cameram Regiam* pertinere falso jactabant) supra Sexagenas quinquies mille trecentas, ex Civitatibus

Tomo. 1. Politicor. discursu 31.

supra

supra quatuor mille trecentas non assurgebat; hodie statu rerum prorsus mutato, quid Reges percipiant, nullibi scriptum reperio, nec facile reperietur, cum in summa populi Bohemici paucitate, & paupertate diversus pecuniæ numerus & canon, seu ut nunc vocant, diversum *quantum* majus, & minus petatur & exigatur. *Stransky sententia est*, Reges Bohemiæ post sumptus omnes, quos faciunt, ex *Regiis reditibus* omnibus, nisi bella vetent, quotannis in *Regium Thesaurum* triginta quinque sexagenarum millia inferre posse, ut *Indictiones* & *Contributiones* omnes taceantur, quarum penes *Comitia Regni* arbitrium est, quæque decies, & amplius tantum hodiernis moribus accumulant. *Ferdinandus I. Cæsar & Bohemiæ Rex* in singula cerevisiæ dolia imperavit grossum; quo uno vectigali *Regius reditus* quotannis quindecim mille sexagenis factus est auctior, ut quæ postea imperata sunt, prætereantur silentio. Idem *Imperator* cum periculosissimis a Turcia bellis premeretur, ac prope mediam Ungariæ partem hostes tenerent, petiit ab ordinibus Bohemiæ in triennium, obtinuitque grandem pecuniæ summam; a Civitatibus quotannis 30803. sexagenas Misnenses; a Dominorum, & Equitum statu 1800150 decies octies centena millia, centum quinquaginta sexagenas Misnenses. Insuper collectione in domos singulas eodem tempore, statuum authoritate indicta oblatæ sunt Regi 7041000 sexagenarum Misnensium; & contributio tres tenuit annos, promisitque verbo *Regio Ferdinandus* (quod etiam sancte præstitit) nunquam se amplius tam grandem summam postulaturum,

Strans. in Rep. Boh.

atque id extrema tantum necessitate adductum postulasse, neque eam rem inter exempla, unquam in posterum adduci oportere. A. 1610. Rudolpho II. ex subsidiis decretis, & contributione Ordinum, septingenties octuagies bis mille Bohemicorum grossorum sexagenæ venerunt in manum; *Mathiæ Cæsari* A. 1614. paulo minus obvenisse, id est præter propter sexcenties, Sexagies, Rationarii *Codices* ostendunt. *Indigna & damnata vetustis omnibus scriptoribus exactio fuit Ioannis Regis Lucemburgici,* qui duorum mensium spatio (nota acerbitatem ex temporis brevitate) *a Bohemis ad nonagies, quinquies mille libras pecuniæ emunxit,* quam collectionem cum summa injuria conjunctam eorum temporum diligens, & religiosus scriptor accusat. Ac secuta fuisset omnium Ordinum etiam Ecclesiasticorum adversus Regem consurrectio, maxime cum Reginam Elisabeth haberent in partibus, nisi Rex animadverso periculo suo ab inique postulatis cessasset, & literis Regiis (quas in Libris *Fundamentorum Regni* recitavimus) omnibus incolis *Regni* promisisset immunitatem, eosque inposterum securos reddidisset; sed nihilominus dulcedine pecuniæ victus, etsi non tam grandem summam, tamen aliquam quotannis postulabat dari a Regno. Notandum est, Ioannem Regem primum fuisse Regum nostrorum, qui ex certis contributionibus incertas fecerit, cum antea certa, eaque minima pecuniæ summa Regi penderetur; itaque pro arbitrio exigebat tributa, & gravibus hisce oneribus Civitates præcipue vexabat: hujus rei sacrum testem afferre possum *Franciscum Pragensem Canonicum*, qui eo tempore vivebat,

Verba sunt Stransk peritissimi rerum nostrarum. Petrus Abbas in Chron. Aulæ Regiæ C. 14.

Franc. Canon.

bat, & ante se fieri videbat, diserte affirmans; originem tributis in *Bohemia Regem Ioannem* dedisse; addit Vetus historia Pragensis Ms. id factum ob unicum prædium Wesselé dictum, quod *Pragenses Regi Ioanni* petenti cedere recusarint.

Prag. Chron. L. 2. Ms. Pragen

Universim de Regum nostrorum redditibus dici potest, *Wenceslaum II.* & ejus *Nepotem Carolum BohemiæRegem* etiam*Legatorum Electorum,* & *Imperii Principum* confessione, majores e Bohemia ordinarios reditus habuisse, quam erant, quos tum Imperatores ex toto *Imperio Germanico* perciperent, ut ostendit *Hagecius* ac ne quis imminuta Imperii vectigalia causetur, sciat is *Wenceslao II. Regnante* ante A. 1300. nihil fere tum adhuc *Imperio* decessisse. nec portoria aliasque pecuniæ faciendæ artes defuisse. Sed hæc ad hodieram ætatem aptari non possunt, nec summæ illæ tam grandes *Regibus* nostris dependi, tum quia *Cameræ* reditus (quos in priore contributionum summa Stransky inclusit) alienatis, & donatis quibusdam Cameræ donis multum imminuti sunt; tum quia fodinæ auri & argenti, quibus aurea *superiorum Regum,* & gemmea *Rudolphi* tempora affluebant, incultæ jacent, ex quibus magnos proventus Reges percipiebant; tum quia ipsa Bohemia continuis fere quadraginta annorum bellis exhausta, ferro & igni ab hostibus & amicis (quibus sic stipendia, proh facinus indignum! solvebantur) Provinciis cæteris bello intactis quiete sedentibus, vel Regis sui & Aulæ præsentia ditescentibus, vel mercatura florentibus, paria præstare non potest, & nec dum ex illa rerum omnium egestate respirare, & recuperare pristinas

Hagek ad A. 1370. vide Facem Imperi & Besoldum

 opes

opes potuit; tum quia plus quam dimidia ſui parte numerus populi decrevit, pulſis ob hæreſim, & in alias, aliasque terras fugientibus *veteribus Bohemiæ* incolis, adeo ut *Wilhelmus Slawata Regni Cancellarius*, qui hæc optime noverat, & ante ſe geri videbat, in ſua hiſtoria diſerte affirmet: Sibi conſtare, idque ſe ex *Tabulis Regni* exſcribere: poſt A. 1621. plus quam triginta ſeu poſſeſſionatorum millia (ita vocant Patres familias) ex Bohemia in exilium abiiſſe, non inito numero conjugum, & filiorum ac filiarum, neque etiam artificum, & opificum, non computata etiam *Nobilitate*, quæ alterum tantum numerum capitum conficeret. Quid quid opum & pretioſum Bohemia habuit, id tempore eo amiſſum eſt, *ſoli pauperes terræ*, ut *Sacræ literæ loquuntur*, prope modum ſunt relicti; plures & majores egeſtatis hujus domeſticæ cauſas adferent rerum humanarum prudentes, de quibus diſputare non eſt mei inſtituti; & tamen Bohemia ob fidem & amorem in Regem ſuum, non conſideratis tot calamitatibus, Provinciis quibusdam, ut dixi florentiſſimis, paria imo majora Regi ſuo auxilia præſtare cum extrema ſua paupertate conatur.

Sed ad *Regum Conjuges & filias* veniamus: Receptum moribus fuit ſub inaugurationem Reginis argentum Coronarium pendere ad quinquies mille marcas argenti. Dotem olim habebant viginti marcarum puri argenti millia; ad iſtud, cum oblatæ ſunt dotales Civitates (quas alio in loco nominavimus) exolevit: conſulatur *Hagecius*. *Filiabus Regum* non eadem ſemper dos fuit; primum ut ex *Hagecio* conſtat, quingenta argenti puri pon-

Strans. C. 9. §. 1.

Hagek ad A. 1305. item ad A. 1311.

pondo seu Marcæ ab universis ordinibus numerabantur, cum nuberent; postea duplicare placuit, & decies mille dabantur. *Legatur Hagecius* ad A. 1138., 1292. 1454. & *Comitia Ferdinandi I.* A. 1549.

Placet hoc loco in honorem *Antiquitatis*, *collectionem* pecuniæ, quam illi *Bernam Regalem* vocabant, adjicere, repertam a me sæpius in *Codicibus MM. SS.* Unum nunc citabo *Codicem in Bibliotheca Clementina* N. 340. signatum, in quo omnia diligenter annotantur, hoc ordine:

Census annui, qui *Cameræ Regiæ* annuatim ex quibusdam *Civitatibus* pendebantur, ad valorem grossorum Bohemicorum.

Minor Urbs Pragensis 90. *sexagenas grossorum Bohemicorum.*

Berauna 88 sexagenas grossorum.
Domazlicium 80 sex. groff.
Sufficium 80 sex. groff.
Wodnianum 30 sex. groff.
Nymburgum 140 sex. groff.
Austa super Albim 100 sex. groff.
Zatecium 140 sex. groff.
Launa 140 sex. groff.
Clatovia 100 sex. groff.
Tachowia 120 sex. groff.
Misa seu Argentina 149 sex. groff.
Slana 150 sex. groff.
Cadana 150 sex. groff.
Pons 150 sex. groff.
Colinum 160 sex. groff.
Caurzimium 160 sex. groff.
Pisseca 175 sex. groff.

Plſna 200 ſex. groſſ.
Litomericium 200 ſex. groſſ.
Budvicium 200 ſex. groſſ.
Czaslavia 200 ſex. groſſ.

Hæc ad Cameram Regis deferebantur.

Quia vero Cœnobia, eorumque bona utpote Eccleſiaſtica, in Vetere Bohemia ante Huſſitarum bella ab omnibus tributis erant libera, inventum eſt ſpecioſiſſimum ſubſidii nomen, quod a ſubditis Cœnobiorum penderetur; quod ex eo libro exſcribemus.

Subſidium Regale, quod aliquando (non annuatim tamen) Rex pro Camera a Cœnobiis petebat, omnia ad valorem groſſorum Bohemicorum, qui quantum valuerint, dixi in Capite de Moneta.

C. Skalicenſe Cœnobium 20 ſex. groſſ. Ordinis Ciſter.

B. Podlazicenſe 60 ſex. groſſ. Ord. S. Benedicti.

P. Zelivenſe 60 ſex. groſſ. Ord. Præmonſtr.

P. Limovicenſe 80. ſex. groſſ. Ord. Præmonſtrat.

T. Dubenſe 80 ſex. groſſ. Equit. Ord. Teuton.

B. Teplicenſe 80 ſex. groſſ. Ord. S. Benedicti.

C. Oſſecenſe 100 ſex. groſſ. Ord. Ciſtercienſis.

B. Cœnobium S. Procopii 100 ſex. groſſ. Ord. S. Benedicti.

P. Strahovienſe 100 ſex. groſſ. Ord. Præmonſtrat.

S. Zderazenſe 120 ſex. groſſ. Ord. S. Sepulchri.

B. Hradistense seu in Gredis 130 sex. groß. Ord. S. Benedict.

P. Doxanense 130 sex. groß. Ord. Præmonstr.

B. Insulanum 160 sex. groß. Ord. S. Benedict.

C. Zbraslaviense 160 sex. groß. Ord. Cisterc.

B. Postoloportense seu portæ Apostolorum 170 sex. groß. Ord. S. Benedict.

B. Wilemoviense 180 sex. groß. Ord. S, Benedict.

C. Plassense 200 sex. groß. Ord. Cisterc.

B. Opatowicense 200 sex. groß. Ord. S. Benedict.

P. Teplense 203 sex. groß. Ord. Præmonstrat.

C. S. Coronæ 200 sex. groß. Ord. Cisterc.

T. S. Benedictus Pragæ Equitum Teutonicorum 200 sex. groß.

B. S. Georgius in Arce 220 sex. groß. Ord. S. Benedict.

H. Hospitale ad Pontem Crucigerorum cum rubea stella 230 sex. groß.

P. Milovicense 240 sex. groß. Ord. Præmonst.

C. Sedlecense 240 sex. groß. Ord. Cisterciens.

C. Nepomucense 270 sex. groß. Ord. Cisterciens.

B. Cladrubiense 300 sex. groß. Ord. S. Benedict.

B. Brzewnoviense 300 sex. groß. Ord. S. Benedict.

M.

M. B. Virginis in pede Pontis Melitensium Equit. seu Rhodiorum 330 sex. groff.

P. Chotieffovienfe 330 fex. groff. Ord. Præmonftrat.

Summa fubfidii Regalis 5000 fexagenæ grofforum Bohemicorum.

Notare convenit hoc loco ftudiofos Antiquitatis noftræ Lectores, nullam *Urbem Regiam* (eo *quod Patrimonium Regium* cenferetur) nullum item Cœnobium (*quod Rex Cœnobiorum advocatus & Patronus foret*) Rege infcio, aut invito, æs alienum contrahere potuiffe, idque fi fieret, creditores fummam perdidiffe, & civitates ære multatas; itaque & cœnobiorum & Civitatum debita Reges annotata habebant, ne ære alieno nimium gravarentur, ut paratum a Civitatibus haberent auxilium: Cœnobiorum æs alienum, cum de Cœnobiis agetur, defcribemus; hic Civitates, quæ in æs alienum *Wenceflai Regis Caroli IV. Filii* tempore, circa A. 1410. incidiffent, ex eodem Libro recitabimus, fimul intelligere licebit, quorfum notabilis *Bernæ Regalis* feu *Tributorum*, quæ *Regi pendebatur*, portio verteretur.

Ex cod. Mf. Codice.

Debita Civitatum fub Rege, & Cæfare Wenceslao, Caroli IV. filio.

Plfna, *Tachovia*, *Clatovia*, cum Cœnobiis *Plaffenfi*, *Pomucenfi* (ita Nepomucenfe vocabant) & *Cladronenfe* (Cladrubienfe) *Erneſto Duci Bavariæ* 940 fexagenas grofforum.

Slana Dominis de Kolowrat 150 fexagenas. Ibidem Panofcæ coco Domini Regis 15 fexagenas.

Pieffka (Piffeka) Stephano Harmifs poft mortem Czepiczkonis 20 fex. *Sicca*

Sicca (Sufficium) Marssiconi de Lopata 80 sexag.

Minor Civitas Pragens. Præposito Pragensi 96 sexagenas.

Misa Bavorkoni 100 sexagenas.

Zacz (Zatecz) D. Borsoni Hrabie de Ossek 140 sexagenas.

Gurym (Caurzimium) D. Waczkoni de Waldstein 153 sex. ibid. Nicolao Cyll. 7 sex.

Alia debita (sine dubio ex Berna Regali pendenda.)

Magistro Curiæ 800 sex.

Magistro Cristanno 50 sex.

Lox Apothecario 100 sex.

Burgravio Cadanensi 100 sex.

Burgravio in Necztin 100 sex.

Georgio Magistro Machinarum 26 sex.

Wencesl. Wersveh 20 sex.

Tubicenis (forte Tubicinibus) Regis 60 sex.

D. Michalzoni id est D. de Michalovicz 200 sex.

D. Boczkoni scilicet Domino de Kunstat 200 sex.

Henrico de Plawna 200 sex.

D. Kragerio, scilicet Kragirzio, seu de Kreike 100 sex.

D. Joanni Seniori de Nova domo 100 sex.

D. Ottikoni Kitlicz 100 sex. D. Rassin 70 sex. D. Henrico de Elsterberg 100 sex. D. Ssenk de Zandaw 100 sex. Burgravio Wissehrad. 100 sex.

Alia

Alia Præscripta.

Pieſka 68 ſex. quem percipiunt coci D. Regis Wenceslai.

Wodnian 54 ſex. 8 gr. quem percipit Burgravius Piſecenſis caſtricum Roboth. 11 ſex. 4 gr. Item idem ibidem Burgrav. a Judice Civitatis percipit 12 ſex.

Budweis 64 ſex. quem percipit Henricus de Lazan Capitaneus Wratislavienſis pro caſtro ſuo Bechin.

Sicca 24 ſex. quem percipit Capitaneus caſtri in Carlsperg.

Slana 90 ſex. 4 gr. quem percipiunt Pſalteriſtæ Manſionarii Caſtri Pragens.

Luna 16 ſex. 40 gr. quem percipit Magiſter Joannes Swebus Doctor, & Rector Ordinarius Medicinæ Almæ Univerſitatis Studii Pragenſis.

Zacz 30 ſex. quem percipit Livico juxta continentiam Literæ Majeſt.

Cadan 40 ſex. quem percipit Domina Alſſoniſſa de Piergenſtein.

Pons 30 ſex. quem percipit Burgravius Caſtri Pontenſis.

Auſk (ſeu Auſta) 16 ſex. 32 gr. 7 hl. qui ſolvetur pro Camera.

Litomierzicz 15 ſex. 34 gr. qui ſolvitur pro camera.

Nimburg 54 ſex. quem percipit D. Paulus Gernſtein, alias de Stara.

Colonia 40 ſex. de quo Dominus de Waldſtein recipit 20 ſex. Item ſaliſcæ 20 ſexagenas.

Cza-

Czaslavia 40 sex. 9 gr. quem recipit Joannes Sſindel Doctor, & Lector ordinarius Universitatis Studii Pragens.

Tachovia 45 sex. de quibus Petrus nomine Dominorum de Sſwamberg percipit 17 sex. cum 5 gr. residuum deperit in villam propter devastationem.

Misa 30 sex. de quibus Bavorkoni 20 sex. Item ibidem Machloni Ballistæ 10 sex.

Clatovia 46 sex. quem percipit Marſſiko de Lopata.

Plzna nova 64 sex. quem percipit Dominus de Sſwamberg.

Berauna 55 sex. 20 gr. quem percipit Burgravius Castri Carlstein.

Summa universalis hujusmodi censuum Cameram D. Regis concernentium a *Civitatibus Regalibus tollenda* 975 sex. 30 gr. 6 hl.

Post hæc sequuntur late descripti *Proventus*, & *Canones Sub - Camerarii*, quos ex *Civitatibus Regiis* annue solebat ille percipere, quos ne odiosus videar, libens omitto.

Habent vero præterea *Reges* aqud nos bona non contemnenda *Cameræ* suæ attributa, quæ procurat is, qui Cameræ *Præses* dicitur; olim hujusmodi ditiones, & plures, & florentiores *Mensæ Regiæ* & propriis ejus expensis attributæ erant; ut Reges non possent in Comitiis *ad propriam suam dispositionem*, ut vocant, ab Ordinibus quidquam petere; continuo enim respondebant: habere illum a Majoribus bona attributa liberæ ejus dispositioni relicta, quæ ipsi *Patrimonium Regis* appellant; ejusmodi ditiones fuere in *Caurzimensi districtu* oppida cum omni vicino agro; *Gilovia cum auri fodinis; Brundusium cum Arce Albi imminente, Co-*

stelecium

ſtelecium ad Albim, loco a natura communito, *Sſelakowicze*, & *Saczka*. *In diſtrictu Hradecenſi Podiebradum* Arx & oppidum cum omni ſuo agro, vivario, multa ſilva, ac piſcinis. Has inter piſcinas maxima, quæ per integrum milliare diffunditur; optimis cyprinis, vel carpionibus ſuaviſſimis referta, quæ *Blato* dicitur. Hanc ditionem *Podiebradenſem Wladislaus II. Rex* A. 1495. *Regum Patrimonio* adjecit, cedente *Henrico Georgii Regis filio*, pro qua viciſſim *Rex eidem Oleſnicenſem in Sileſia Ducatum* Jure *feudali* conceſſit. *In diſtrictu Chrudimenſi* in Regis Patrimonio cenſetur *Arx* altiſſima, & munitioni accommodatiſſima, quæ Kunieticzká Hora ſeu *Cunaci* mons dicitur, cum vicinis latifundiis, & eleganti *Arce Pardubicenſi*, cum urbecula inſigni; hæc ditio eſt Rege digniſſima ob ſaltus ferarum, & avium plenos, tum ob piſcinas, quæ facile quadringentæ numerantur. *Ad Cameram Regis* quoque *pertinet Przelaucz* oppidum ad Albim ſitum, quod ob ridiculam quandam ſententiam A. 1558. latam deridetur. In *Czaslavienſi Provincia* præter *argenti fodinas Cuttnenſes* nihil ad *Cameram Regis* ſpectans invenio. *Rudolphus Imperator* A. 1586. Maleſſovium Cameræ ſuæ adjunxit, quæ tamen ditio poſtmodum Authoritate Regia vendita eſt. *In diſtrictu Bechinenſi* exceptis fodinis in conſpectu Budvicii ſitis (quas audio Budvicenſibus a Rege vel conceſſas, vel donatas) fiſci bona, niſi fallor, nulla ſunt, uti neque in Wultawienſi. *In Podbrcenſi Provincia* amplum eſt Regis Patrimonium: nam ut taceam, arcem *Carlſteinenſem* cum *Tetina*, vicinisque prædiis, ac pagis (quæ hodie abalienata ſunt) ad Regis

Ca-

Cameram spectant *Králůw dwůr* (*Curtis Regia*) *Tocznik*, *Zebrak*, *cum oppido Zbiroh*, *Dobrzisss*, *cum villis*, *silvis*, & agris omnibus, & *Kninensibus aurifodinis*, ex quibus *Dobrzisss* jam a Patrimonio Regio avulsum est. In *Prachensi Provincia* an ad *Regis Cameram* aliquid pertineat, scire non potui, sed per eam *salem Regium*, uti & per *Bechinensem Provinciam*, in Bohemiam apportari, magno Regis lucro, certum est. In *Plsnensi Provincia Regius Fiscus* nulla habet bona. In *Provincia* Zatecensi Regii Fisci utilitates magna parte fodinis ferri, atque argenti *Prisspicensibus*, *Sonnebergicis*, *Platnensibus*, *ex Sebastianomontanis*, ibidemque stanni fodinis *Slavkoviensibus*, & *Lauterbachianis*, *Schönfeldianisque* continentur. Commotovium frequens Civitas a Wenceslao IV. ab Henrico Plawenio Magistro Equitum Teutonicorum centies mille aureis emta, & a *Sigismundo fratre Rege Iacobo Wrzesoweczio* pignori data; ab hoc ad *Czaltas*, dein ad *Weitmilios*, ab his ad *Lobkowicios* pervenit, ut in Libro III. *Miscellaneorum* retulimus. *Rudolphus Cæsar Georgio Lobkowicio Majestatis* damnato (quæ damnatio a multis velut injusta vel dubia controversa est) iterum Cameræ suæ restituit A. 1595. In *Rakonicensi Provincia* ipsa primaria Civitas *Raconium* seu *Rakona* olim *Regis Patrimonium* fuit, primus *Rudolphus Imperator* A. 1588. ordinibus Regni in Comitiis patrocinantibus, Regiis Urbibus eam adscripsit. In eadem provincia a Rakona uno milliari dissitam arcem condidit Wladislaus I. Krziwoklad (Germanis Burgleins seu Bürglitz) appellatam, cui agrum multum, ac reditus luculentos *Fisci Regii* hæreditarios assignavit, ex hujus ditionis silvis, quæ

proceris arboribus, & cædendo aptissimis abundant, ligna, secundo Misa, & Muldava usque ad *Albim*, inde in Camerales ditiones ad necessarios usus devehuntur et distribuuntur. *Strassice* oppidum Arci subest, & ad Regis Patrimonium quoque pertinet. In *Slanensi* præter Unhost oppidum, & aliquot vicos, quos *Arci Krziwokladensi* attribuerunt Majores, in patrimonio Regis est, ditiuncula, & *Arx Lany Rudolpho II. & Mathiæ Cæsaribus* carissima, ob venationem, & amœnitatem in deliciis; totum hoc dominium *Krziwokladense* abalienatum est a Regibus. *Litomericensis Provincia* nihil habet *Fisci Regii*, nisi forte stanni fodinas *Krupnenses* huc trahamus. *Hrobenses*, & *Roztochianæ* argenti fodinæ jam olim sunt exhaustæ. In *Provincia Boleslaviensi* Rex Patrimonium olim habuit *Benachiam*, ut vocat *Tycho Brahe* (nobis Benatky) tum *Lissam*, & non modicam *Brundusinæ* ditionis partem *trans Albim*, cum *Oppoczino*, & *Hlavenecio* voluptuariis; Praga aliquid etiam habet, quod Fisco Regio adjiciatur ex merito, ut est Regius hortus, amplitudine & rarissimis sationibus & plantis, & ferarum omnis generis cortibus insignis, & Palatio ad hortum sito, quod alibi descripsimus, augustus; neque procul inde extra Urbem ad Fluvii Moldavæ crepidinem, Regia domus cum amœnissimo vivario, & si quæ sunt alia, tum hic, tum præcipue in *Comitatu Glacensi*, & *Provincia Cubitensi* (ubi argenti divites fodinæ in valle *Ioachimi* patrimonium Regis non parum fertilibus temporibus augent) ex quibus omnibus Fisci bonis quædam liberalitate Regum, & importunitate quorundam Procerum, &

Tycho. in Epist.

Mi-

Militiæ Ducum ex cameralibus bonis expuncta. Invenio pulcherrimas alias, & peropulentas ditiones, *Regio Fisco* attributas, quas nominare, ne quem offendam, non audeo. Certum tamen est, Avorum memoria reditus ex ditionibus Cameralibus, præterquam quod *Mensam Regi, Aulæque universæ* paratissimam, & splendore Regio nitidam suppeditarent, præter expensas quotidianas minimum mille sexagenas grossorum Bohemicorum, quæ altero tanto Misnenses sexagenas exsuperant, *Regi* dependere solitas, ut vectigalia, & portaria *in omnibus Regni finibus*, & vectigal illud ordinarium, & maxime fructuosum *Pragense*, quod qui instituit *Rex Ioannes*, *Ungelt* appellavit, omittam. Hæc pauca de cameraticis bonis sufficiant.

De dotalitiis Reginarum Bohemiæ urbibus fuse agit *Stransky* in secunda editione Reipublicæ Bohemicæ Cap. 9. Sed longe præstantius *Hradecensis Civitas* in publicis literis *Carolo IV. imperante* & probante scriptis, quas in secunda parte hujus libri recitabimus, in quibus *Ius Reginarum* in urbes suas dotales, & quid illæ vicissim Reginis debebant, & qua ratione Civitates illæ *Regem* ipsum respicere debeant, explicatur; ex his urbibus *Regina* se, & *Aulam suam* cum dignitate alebat, & alit; ac primum *dos* erat *pecuniaria*, scilicet argenti puri 20 millia marcarum, postea vero, Ottogaro in acie cæso, certæ urbes Reginis sunt attributæ, & sunt hæ: *Hradecium* ad *Albim*, *Iaromirium*, *Trutnovia*, Králowé Dwůr (*seu Reginæ Curia*) *Bidz'owium*, *Chrudimium*, *Altomauta*, *Policzka*, *Mielnikum*, *cum arce & prædiis*, *& amplissimis latifundiis*, *vini frumentique feracissimis*, quod tamen avulsum postea a *dote Reginarum* a Regibus,

diverſis Dominis ſibi ſuccedentibus arendæ nomine ceſſit, hodieque in eo ſtatu perſeverat. Quid Regina in ſuas urbes poſſit, late diſputat *Stransky*, quod odioſum fortaſſis eſſet deſcribere; certum eſt ſæpe a *Regibus coronatis* (nulla enim niſi *Regina Bohemiæ coronata* has urbes tenere poteſt) urbes aliquas ex dotalitiis olim oppignoratas fuiſſe, ut exempla priorum temporum docent; ne vero aliquid *Regina* in ſuis urbibus detrimenti pateretur præter Burgravium Hradecenſem, qui unus eſt ex *Regiis locum tenentibus*, habebat Regina Præfectum conſtitutum. Auřednjk Králowé Gegj Miloſti (Præfectus Reginalis Majeſtatis) qui inter *minores* ſubſelii *Iudices provinciales* ad tabularium *Regni*, ac ubivis in conſilio quaſi *Reginæ Procurator* ſederet, ſuffragium cum cæteris pariter haberet, & quoties *Reginæ*, quid in re qualibet intereſſet, portinus intercederet, cauſamque ejus tueretur.

Ad extremum hoc loco de *S. Petri denario*, ut vocant, ex ſingulis domibus annue perſolvendo diſputatio poteſt moveri, quem hodie non præſtari conſtat: *Bohemiam* huic cenſui ſubjectam olim fuiſſe graves Authores cenſent: *Steuchus*, *Baronius*, *Gretſerus*, *Stapletonus*, *Fridericus Martinus*, & *Bozius*, qui addit: *Spitibnæum Bohemiæ Ducem* argenti libras annui cenſus Sedi Apoſtolicæ pendi ſtatuiſſe.

Ego in ſcriptoribus noſtris nihil ejusmodi de *Spitibnæo* reperio; *Wratislaum* An. 1073. magnum argenti numerum *Romam* miſiſſe, *Baronius* eſt author; at cum illud argentum ad pondus corporis ſui Princeps appenderit, non videtur cenſus annui nomine transmiſſum; quanquam, etſi Cenſus fuiſſet, *Sileſiæ* non *Bohemiæ*

Auguſt. Steuch. Eugub. in comment. de Donat. Conſtantini L. 2. Gretſ. de Munificent. Imp. Reg. in Eccleſ. Rom. C. 29. Staplet. de Magnitud. Rom. Eccl.

hemiæ nomine ſolvebatur, nam Sileſiam obnoxiam huic cenſui fuiſſe, dum de *Sileſia* agerem, probavi; audiamus Goldaſtum: Denarium *S. Petri* pactus eſt *Caſimirus Rex Poloniæ*, & cum eo onere *Sileſia* ad *Bohemos* translata eſt, ut habet *Gregorius* VII. *in epiſtola ad Wratislaum Ducem Bohemiæ*, falluntur enim, qui putant etiam *Bohemiam* fuiſſe ſic *ſubjectam*, eſt enim tantum mentio *Sileſiæ*; hæc *Goldaſtus*; ego rem integram in medio relinquo; hiſtoria mea, ut ſæpe dixi, nulli præjudicium facere poteſt, aut debet.

Martinus de Iure Cenſuum. Bozius de Iure div. & nat. C. 14. Baron. in Annal. Ecc. ad A.1073. L. 2. de Iuribus Boh. C. 12.

CAPVT XVI.

De Peregrinis, qui Iura Regni Bohemiæ, & Incolatum a Comitiis, vel Regibus obtinuerunt, & quorundam ex iis nomina superiore ſæculo recitata.

Telluris noſtræ fæcunditas, victus parabilis, legum optimarum cuſtodia, nullius magni ſceleris impunitas, & alia Regnorum felicium bona, multos in *Bohemiam* peregrinos & hoſpites attraxerunt, quod vel hodie videmus fieri, etſi bellis primum *Civilibus*, tum *Saxonicis*, *Suecicis*, tum aliis artibus ab hoſtibus inventis, ad ſummam inopiam, & prope ad incitas redacta ſit patria, & ea florentiſſima, & lautiſſima olim, inops, & populo, ac nobilitate evacuata, vix aliquas retineat prioris felicitatis reliquias: ut ad id, quod cœpi dicere, redeam; incidi bona fortuna in Codices quosdam manuſcriptos, qui nomina eorum continent, qui ex equeſtri ordine in cenſum Dominorum evecti fuere, quorum parvus, ut ante inſinuavi, ſæculis prioribus eſt

numerus, tum eorum, qui ex civium ordine in Equites cooptati ſunt, quod vel a Regibus vel a Comitiis univerſalibus poterat impetrari, quorum inſignem numerum recitare poſſum, ſed hasce translationes duas in Stemmatographiam differo, ubi *ritus* & juramenta, quæ iis prælegebantur, & alia huc pertinentia in honorem antiquitatis recitabo, hoc loco eos tantum breviter adferam, qui ab a. 1557 usque ad ſæculi ſuperioris finem, jus civitatis, vel potius incolatus Bohemiæ precibus, & pretio, quod dependi apud *Tabulas Regni* oportebat, exſoluto, & teſtimonio honeſtatis publice allato impetrarunt, quod etiam nobiliſſimis Comitum ac Principum familiis, ut mox videbimus, præſtare indecorum viſum non eſt; ex his triginta, quos adducemus, annis, lector prudens de cæteris faciet conjecturam.

Admiſſi in regnum Bohemiæ pro veris & genuinis hominibus Bohemis.

WKwaternuTrhowém Lwowém A. 1557. I. 1. Joannes Sſtradin z Sſtondorffu.

Otto de Neydek, & in Raſtenberg Regis Conſiliarius & Camerar. I. 30.

Florianus Griespek de Griespach in Kaczerow Regis Conſiliarius. I. 39.

A. 1558. *Andreas Teyrol* in Enczersdorff ſereniſſimi Archiducis Ferdinandi ſupr. ſtabuli Præfectus. A. 7.

Andreas Galles de Gallis S. Cæſar. Maj. medicus cubicularius, & *Wilhelmus*, *Iulius*, *Ludovicus* filii Galli, itidem de Gallis. E. 14.

A. 1559. *Iulius* Comes *de Hardek* in Glatcz &c. hæreditarius pocillator Archiducatus

tus Austriæ, Styriæ Dapifer: Sac. Cæs. Maj. consiliarius, & Ferdinandi Archiducis supr. Marescallus cum suis posteris nominatim, Bernardo, Sigismundo & Henrico adultis. F. 10.

Ioannes Stansdorff de Stansdorff. E. 26.

A. 1561. *Franciscus Comes & L. B. de Turn* in Cruce Dominus, supr. hæreditarius Aulæ præfectus in Carinthia, S. Cæs. Maj. Consil. & Camer. Capitaneus Comitatus Glacensis, & Flumine, *Archiducis Ferdinandi* supr. Aulæ præfectus cum suis posteris. E. 29.

Ambrosius Comes & L. B. de Turn, & in Cruce, Hæreditarius Marescallus in principali Comitatu Bericensi, *Archiducis Ferdinandi* Pocillator. E. 20.

A. 1562. *Dominus Miran* de Miran. H. 11.

Martinus Meyninger de Lob, serenissimi Archiducis Ferdinandi supr. Culinæ Magister. K. 30.

Erasmus de Windisgratz L. B. de Waldstein, & Tol, S. Cæs. M. Consil. L. 10.

Casparus & Christophorus Mauricius Patrueles de Fels. E. 14.

A. 1563. *Scipio Comes de Arcu*, Sac. Cæs. Maj. Consiliarius, & supr. Camerarius *cum filio suo Nicolao*. E. 2.

Ludovicus Ungnad L. B. de Sunek, Romani, Ungarici, & Bohem. Regis supremus Aulæ Marescallus. D. 2.

Balthazar Botian de Botian, Sac. Cæs. Maj. Pocillator. Ibid.

Ioannes Leytol de Ketzowa. E. 3.

Christophorus Czedwiczar de Czedwicz in Libenstein cum filiis suis Georgio, Ioanne, Sebastiano, Ioachimo, Ioanne, ThomaChristophoro,

Henrico, Hieronymo, Ioanne & Adamo. E. 3.

A. 1564. W Kwaternu Trhowém Zlutém. *Christophorus Durnham* de Durnham. E. 13.

A. 1565. *Rudolphus Carlovetz* de Carlowitz, & de Grubsstein, & *Nicolaus Carlovitz* & in Grubsstein. H. 12.

A. 1567. W Kwaternu Trhowém Czerwenéni. *Balthazar Prock* de Sübenhürt. A. 27.

Nicolaus Comes de Salmis, in Neuburg supra Oenum. P. 1.

A. 1570. *Ioannes Senior*, Christophorus, & Ioannes Hanbold, & Abrahamus Patrueles, & fratres *Ssleinicy* de Ssleinicz, & in Ssleinicz Kraupicz, & Hoss. O. 25.

A. 1571. W Kwaternu Trhowém Bjlém. *Georgius de Berbissdorff* filius Christophori Berbissdorff. F. 5.

Ladislaus Pansi Comes Salatsky de Alsolindwy in Beczkow Sac. Cæs. Maj. Consiliar. supr. Cameræ Magister in Ungariæ Regno, cum posteris suis *Paulo & Ioanne*. G. 24.

Urbanus Pffeffergorn de Ottopach. H. 19.

A. 1572. *Henricus Gravinger* de Salek cum filiis suis. K. 9.

A. 1575. W Kwaternu Trhowém Modrém *Ioannes Senior Ræmundus* Ioannes Ivana Tuchorovy de Stowerowa, & in Novo Sedlissti cum duobus filiis. C. 7.

Casparus Comes de Ladron. M. 27.

Casparus Ssenberg de Ssenberg, & in Knanthan. N. 9.

Henricus Stormbergirz' de Stormberg, & in Wildrperg Rydec & Lobenstein Sac. Cæs. Maj. Aulicus Consiliarius. N. 12.

Henricus Pffeffergorn de Ottopach. N. 27.

Ioannes

Ioannes Precht de Ottnburg. N. 29.

Christophorus de Althaimb, & Goldburg L. B. in Murſslat Sac. Cæſ. Maj. Aulicæ Cameræ Conſiliarius. N. 30.

Euſtachius, & Wolff Wilhelmus fratres germani de *Althaimb* & Goldburg; & in Murſtat LL. Barones, & Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarii in infer. Auſtriæ Regimine.

Genter de Binn Capitaneus in Plangſtein.

Getrzich Mansſtein de Pupenhein venationum Præfectus in ditione Pardubicenſi. O. 1.

Iulius Comes de Salmis & de Neuburg ad Oenum. O. 13.

Ioannes Wilhelmus L. B. *de Roggendorff*, & Morburg, Mareſcallus Auſtriæ, & Supr. Hæreditar. Aulæ Præfectus Archiducatus Auſtriæ.

Georgius Brann de Ottndorff in Waltemberg & Prelin Sac. Cæſ. Maj. aulic. Conſiliarius. S. 22.

A. 1576. W Kwaternu Trhowém Hřebjčkowém *Georgius Fink* de Finkenſtein. E. 12.

Sifrid de Promnicz L. B. in Ples, Zarow, & Strzewli Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius, & præſes Cameræ ſuperioris & infer. Sileſiæ. E. 24.

A. 1577. *Thomas Leſſtinsky* Podhagicz a Wobenicz Sac. Cæſ. Maj. ſenior ſilvarum Præfectus B. 25.

Florianus Pawieticzky de Radwanow, & de Wokachinicz.

Leonardus Senior de Harrach L. B. in Rerau &c. Hæreditarius ſtabuli præfectus, inferioris Auſtriæ Sac. Cæſ. Maj. intimus Conſil.

Leonardus Iunior ab Harrach L. B. in Rerau, & Pirenſtein Sac. Cæſ. Maj. Conſiliar. G. 26.

A. 1578. W Kwaternu Trhowém Têlném. *Ioannes Wolff* & *Georgius* fratres *Stubenberg* de Stubenberg in Gutenham, & Nowy Staroſte. E. 6.

A. 1579. *Chriſtophorus Lindner.* K. 7.

Ioannes Georgius Purkſtaler de Purkſtal. L. 28.

Georgius Mehl de Strzelicz, & in Grabſtein Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius & Vice-Cancell. Reg. Boh. M. 2.

Hilmar de Qvarnheim M. M. 20.

Balthaſar de Salis, & in Dobrziſſow Capitaneus in Plan. M. 23.

Ioannes Iunior de Sſeweron. O. 28.

A. 1580. *Bernardus Ludovicus de Towar* in Entzesfeld, ejusque pater & avus. P. 15.

Michael Cremer de Königshoff & in Ottniczich.

Stephanus de Eiczing hæreditarius camerarius Auſtriæ. Q. 17.

Ioannes Georgius, Chriſtophorus, Melchior, fratres germani *de Reder* in Fridland, Seidenberg, Reichenberg, & Hamrſtein, & Georgius *de Reder* eorum Patruelis. Q. 22.

A. 1580. W Kwaternu TrhowémBlankytném. *Paulus Sidil* de Sidlow, & in Sſtenberg Sac. Cæſ. Maj. Conſiliar. in camera regni Boh. A. 22.

Demetrius Sſwendi, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius, ſupremus venationum præfectus in regno Bohemiæ. B. 10.

A. 1582. *Ferdinandus Lokſſan* de Lokſſan & in Brz'eznicz ſereniſſimi Archiducis Ferdinandi Conſiliarius, & Pocillator.

Ioannes Senior de Z'erotin in Namieſti, & in Brandeis. I. 29.

A. 1583. *Consul, & Senatus & populus* Iglaviensis. P. 15.

Balthazar de Sfinowicz, de Ungersberg, & in Fridnow. Q. 20.

A. 1583. **W Kwaternu Trhowém Sſe-rém.** *Sigismundus, & Bernardus* germani fratres Cz'ertoreysky de Cz'ertorey in Hrusſowan & Skalach. A. 22.

Ioannes Iacobus Herbrott de Esling Sac. Cæs. Maj. ut Regis Bohemiæ aulicus Quartiriorum Magister. E. 18.

A. 1584. *Desiderius Labe* &c. I. V. Doctor, & Advocatus. D. 14.

Ferdinandus Hoffman L. B. in Gruempiechel, & Stechau, hæreditarius Aulæ præfectus in Styria. D. 25.

Ioannes Comes de Rozdraz'ow, & in Blatna, Pomstorff &c. serenissimæ Reginæ Galliæ Elisabethæ, natæ Reginæ Ungariæ, Bohemiæ, Archiducissæ Austriæ supr. aulæ præfectus. H. 11.

Georgius Pruſkowsky de Pruſkowa in Biely, & Veteri arce Sac. Cæs. Maj. Consiliar. H. 17.

Wenceslaus Strnad de Trziskowicz, & in Petkowicz. M. 3.

Melchior de Breitenbach Sac. Cæs. Maj. Consil. aulicus, & culinæ magister. D. 14.

A. 1585. *Nicolaus Ficztumb* de Eisfeld in S. Catharinæ monte. E. 23.

Adolfus Hog de Hogen,

Octavianus Spinola. E. 24.

Udalricus Austalo de Sala, Sac. Cæs. Maj. præfectus in arce Prag. E. 26.

Ioannes Manrike.

Iacobus Berbek.

Getrzich Sſwerin de Sſwerin.

Ferdi-

Ferdinandus Lokſſan, jam ante 1582. notatus, ſed huc pertinet

A. 1585. *Getrz'ich Senior* de *Z'erotin*, & in Smirzicz. M. 11.

Paulus Sixtus Trautſon L. B. in Sprechenſtein, Sfremſtein, Falknſtein, hæreditarius Mareſcallus Comitatus Tirolis Sac. Cæſ. Maj. Imperialis aulæ Conſil. & Vice-Præſidens, Camer. & ſupr. Mareſcallus Aulæ Cæſareæ. N. 6.

Georgius Senior de Carlowicz reſidens Magdeburgi.

Wolffgangus Erneſtus de Wirſſperg Sac. Cæſ. Maj. Imperialis Aulæ Conſiliarius, Collonellus Equitum, Dominus in Golsfeld, Harthoff &c.

Franciſcus de Salis in Stiberdorff. O. 24.

Sebaldus de Plawen Sac. Cæſ. Maj. Conſil. Cameræ inferioris Auſtriæ.

A. 1585. *Ferdinandus Albertus Hojos* L. B. de Stienſtein & Teibeswinkl, Archiducis Auſtriæ Camerarius. B. 30.

A. 1586. *Balthaſar Trautſon* L. B. de Sprechenſtein, & Falkenſtein, hæreditarius Mareſcallus Comitatus Tirolis, Archiducis Ferdinandi Conſil. Capitaneus in Rowereit, & in Stein ad Gallianum. E. 8.

Porfirio Boſſo Sac. Cæſ. Maj. Cameræ ſervus. E. 13.

Michael Kek de Schwartzpach fabricæ arcis Pragenſis rationarius, qui eodem die admiſſus eſt in ſtatum equeſtrem. T. 17.

Hambold de Starſſeld. I. 8.

A. 1587. *Fridericus de Z'ierotin*, in Zidlochowicz S. C. M. Conſiliarius. K. 22.

Daniel Senior Pilgram de *Pilgram* Sac. Cæſ. Maj. Præfectus Krupnæ. K. 29.

A.

A. 1588. *Simeon Ungnad* de Sunek in Bornſtorff, & Himmelſtein. P. 24.

Caſparus Bernauer de Feldburg Sac. Cæſ. Maj. cameræ ſervus. C. 22.

Fridericus ab Oppersdorff de Dub, & Friedſtein in Czaſtolovicz, & Tiniſſt. H. 5.

Wilhelmus ab Oppersdorff de Dub & Fridſtein, & in Herz'manow Mieſtecz, Kozla, & Sloweticz, deſignati Regis Poloniæ Maximiliani Camer. H. 6.

Georgius ab Oppersdorff &c. in ſuperiori Glogovia, & Polonica nova Czerekve Sac. Cæſ. Maj. Præciſor.

A. 1589. *Nicolaus Noſticz*, & in Teſſawa Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius. I. 12.

1589. W Kwaternu Trhowém Sy≠wém. *Bartholomæus Perger* de Perg. H. 25.

Ewardus Keley Anglus ex Equeſtri domo dicta Ymaynu ex comitatu Conagkak, & regno Hiberniæ. P. 20.

Ferdinandus Peyer de Oſterburg, & Hradek, Sac. Maj. Trukſeſs. E. 21.

A. 1590. *Georgius Perger de Perg* Sac. Cæſ. Maj. Aulicus, & expeditor apud Cancellariam Boh. E. 16.

Hector Weis de Miſsling. F. 7.

Conradus Mayer de Pokrdorff apud officium ſupremi Burgraviatus. F. 10.

Alfonſus de Montecuculi, Dominus in Rinaſelto, Saſterno Sac. Cæſ. Maj. Pocillator, & Reginæ Franciæ Eliſabethæ ſupr. ſtabuli præfectus; Maximiliani Regis Poloniæ electi Camerarius. F. 20.

Hieronymus de Caprin Sac. Cæſ. Maj. Cameræ ſervus. G. 11.

Bartho-

Bartholomæus Quaxinonius Sac. Cæſ. Maj. medicus cubicularius. G. 14.

Mauritius Stromer Medicinæ Doctor. G.15.

Damianus de Peicz'eldorff, & in Kalku. 18.

A. 1591. *Mauritius de Sebottendorff* in Criſswicz Sac. Cæſ. Maj. Præciſor. E. 10.

Ioachimus Malcz'an L. B. in Milicz', & Penczelin. P. 9.

Ab Anno 1591. usque ad An. 1593. nemo ſuſceptus.

A. 1594. **W Kwaternu Trhowém Kuděm.** *Gabriel Strein* L. B. in Sſwarczenau, Hirspach, & Hogltorff, Sac. Cæſ. Maj. imperialis aulæ conſiliarius. B. 12.

A. 1595. *Bartholomæus Spranger* Sac. Cæſ. Maj. cameræ pictor.

Thomas Samer Director officii culinarii Sac. Cæſ. Maj. & Contralor aulæ Cæſareæ. M. 16.

Iulius Wolff de Wolfsperg.

A. 1596. **W Kwaternu Trhowém Kożynowém.** *Laurentius Sittler* in Pliczgenberg Sac. Cæſ. Maj. Decimator in Ungarico Altemburg. B. 29.

A. 1597. **W Kwaternu Trhowém Plawém.** *Ioannes Comes de Serin* Sac. Cæſ. Maj ſciſſor. H. 15.

Ioannes Fridericus Hoffman Hæreditarius Aulæ Præfectus Ducatus Styriæ, & hæreditarius Mareſcallus, in Auſtria, Imperialis Aulæ Conſiliarius, Burgravius in Styria, Archiducis Maximiliani Camerarius, E. 3.

A. 1598. *Petrus Rotter* Sac. Cæſ. Maj. Aulicus. I. 39.

Ioannes Popp ſenior in Künsperg, & Schoenpach, & Ioannes Senior Popp, & Ioannes minorennis Patruelis. L. 18.

Geor-

Georgius Philippus de Berlichin in Dorczback, & Libach. M. 26.

Maximilianus Pertolt de Saxengeng Sac. Cæſ. M. Cameræ Servus. D. 16.

CAPVT XVII.

De Clementia veterum Bohemiæ Procerum, & quorumvis Dominorum in ſubditos, & glebæ ſuæ adſcriptitios.

Dici non poteſt, quantum aberrent hodierni homines, qui majores noſtros duros, immites, feros, ac præcipue ſubditis & ſubjectis inexorabiles, eosque, ut ſacræ literæ loqui ſolent, virga ferrea, regentes, nobis depingunt; at ego contranitor, & comperio mitiſſima omnia imperia fuiſſe; Dominos, qui omnibus, ſed maxime ſubditis bene eſſe vellent, qui ultro inopiam beneficiis ſublevarent, qui etiam, quæ debebantur, ſæpe remitterent, & donarent, qui gauderent amari magis, quam timeri, id quod planum facere cuique innumeris exemplis poſſum. Et amabo; quod *oppidum* eſt, *quæ ditio*, *quæ civitas*, *Roſenſibus*, *Novodomæis*, *Bercis*, *Haſemburgiis*, *Swambergiis*, *Sternbergiis*, *Wartembergiis*, *Lobkoviciis*, aliisque hujusmodi magnis proceribus paulo diutius ſubjecta, quæ ab iis Privilegia non acceperit? Curiæ Krumlovienſis, Trebonenſis, Græcenſis, (longum eſt ire per ſingulas) plenæ ſunt literarum, quas in favorem ſubditorum ſcripſere *Reguli Roſenſes*; idem dicere poſſumus de cæteris: ſunt exempla Procerum, qui oppidis ſuis jura civitatis a Regibus impetrarint, & cum id impetraſſent procedente tempore (quod majus

jus est, & sæculo nostro pro miraculo habe-retur) libertatem donarint; at hodie plura di-cere non audeo. Non igitur mirum, odio nos laborare, & tolli aliquando clamores in cœ-lum, quos Deus pauperum vindex audiat, & mortibus, extinctione familiarum, orbitatibus, & sterilitate conjugum, regni ipsius calamita-tibus, bello, fame, peste, exaudisse se com-probet; quæ enim justitia dictat, quod jus permittit, ut quæ subditorum sunt, nostra esse putemus, ut privilegia, quæ a Majoribus nostris accepere, irritemus, conscindamus, ut eos ad nova onera subeunda compellamus, ut ea pauca præsidia, quæ semper habuere, agros, villulas, domos, hortulos, cerevisiæ coquen-dæ officinas, popinas, piscinas rapiamus? ut contra jubeamus emere, quæ ipsi vendere non possumus, & pretio, quo volumus, & quando volumus, nulla pauperum cura, nullo misero-rum respectu? & hæc videre, & pati, & age-re eos, qui religionem verentur, & amant, qui ecclesias frequentant, qui se reos minima-rum culparum faciunt, qui toties Eucharistiam tanto pietatis ambitu sumunt? Pietas nisi ju-stitiam comitem habeat, hypocrisis, & simulatio est; subditorum oppressio, publicum latroci-nium, quod nullis eleemosynis, nulla in sa-cris liberalitate, nisi una restitutione iis, qui-bus ademisti, pensabis. Satis justo indulsimus dolori, jam ad id quod proposueram, veniamus.

Ac primum magna quidem diligentia & studio hujus barbari moris originem pervesti-gare conatus sum, sed omnia frustra fuere, nihilque traditum literis nostris, quo barbaries illa probaretur, inveni; tum viros probos & prudentes, & legum nostrarum bene peritos,

postea

postea etiam, qui tam inclementer dominabantur in suos, quanta potui modestia, rogavi; quid causæ subsit, quod in media prope Europa soli apud nos subditi tanta servitute premantur, ut nihil proprium habere, nihil nisi ex Dominorum voluntate agere, & velut mancipia, nihil onerum recusare possint, & nisi faciant, in ergastula compingantur, cædantur, verberentur, & tantum non occidantur; quæ tamen omnia legibus humanis, & divinis vetentur, & omnium circa nos positarum gentium exemplis refellantur? Diverse a diversis responsum est: alii (qui iisdem probiores & justiores) male hæc tolerari dixerunt, & summi magistratus auxilio barbaram illam servitutem, a cervicibus pauperum, & miserorum subditorum tollendam esse, certi aliquid in hisce oneribus statuendum, neque infinitam hanc dominationem tolerandam, ut diu noctuque veluti jumenta in stabulis ad nutum Dominorum pervigilent, totis diebus Domino in agris, campis, silvis laborent, suos vero agellos jacere patiantur, & alia odiosa; quæ ipsi memorabant. Alii respondebant, servitutem hanc, sive ea justa, sive injusta sit, jam a pluribus sæculis inductam, etiam a Dominis, quorum vita laudatur, observari, proinde subditos Bohemos nihil a mancipiis differre; addebant quidam, se bona nunc primum in Bohemia emisse, eoque carius, quod venditores dicerent: *ad omnia, quæ Dominus imposuerit, peragenda rusticos obstrictos esse*, quæ si nunc mutare cogatur, quid tandem ex ditionibus utilitatis sit habiturus? Alios etiam audivi, qui dicerent, Bohemicæ rebellionis (1618.) veniam datam a Cæsare omnibus Bohemiæ Ordinibus universim &

ſingillatim, ſolis ſubditis nullam a Cæſare veniam conceſſam, quos proinde Domini pro ſuo arbitrio mutare poſſint, maxime in oppidis, & civitatibus, quæ Dominum reſpiciunt, ut auferre iis jus coquendæ cereviſiæ, jus macellorum, jus propinandi, ſi quod olim habuerunt, vinum, cereviſiam &c. Jus hoſpitii publici, jus mercaturæ, frumenti &c. contra vero imponendo eis neceſſitatem, omnia a Dominis ſumendi, & præſenti pretio exſolvendi, piſces, carnes, butyrum, caſeos, fructus omnis generis, verbo: omnia, quæ quamvis non ſuo tempore, aut prorſus corrupta ſint, ſubditi pretium repræſentare ſummum, quaſi pro optimis coguntur. Eccleſiaſticus quidam vir rem novam coram me dixit: *Slavos nos, ſclavos eſſe, ex legibus. Slavorum quicunque nobilis non ſit, eum inſtar mancipii haberi;* huic ego confeſtim ita ſatisfeci, ut eum, hanc in gentem noſtram calumniam dixiſſe puderet, & dictam noluerit; plura ejusmodi deliramenta (nam aliter appellare non poſſum) in quorundam Dominorum crudelium colloquiis paſſim circumferuntur, *ad excuſandas excuſationes in peccatis*, ut ſacræ literæ loquuntur. Nam imprimis nulla poteſt conſuetudo præſcribere & valere contra juſtitiam; alioquin malefacta omnia, omnesque injuriæ hoc colore, ſi quid valeret, obtegi, & excuſari poſſent, neque ullo modo inter Chriſtianos ſervitus illa, quæ mancipiorum propria eſt, & qualem in ſubditos quidam tentant inducere, ut ante deſcripſimus, admittitur; quæ communis eſt Theologorum, & juris Doctorum omnium ſententia; neque ullus ditionis ſuæ venditor, quod ipſe legitime non habuit, alteri vendit: ſua

ſunt

ſunt jura, & ſervitutes ſubditorum certis terminis definitæ, v. g. tot diebus laboratur Domino, non amplius, exſtant ubique veteres fundorum libri, & in omnibus ditionibus per Bohemiam conſervantur, ubi annotatum legitur accurate, quidquid per annum ad *S. Georgium* & *S. Gallum* (iis enim duobus temporibus majores noſtri debita exſolvebant, & Domino paucos illos pro fundo olim majoribus ſuis a Domino donato nummos numerabant) ſolvendum ſit. Ad illud, quod deſpotæ iſti toties repetunt, ſemper hanc ſervitutem in Bohemia viguiſſe, legibus Slavorum inductam, reſpondeo: nihil tale adferri poſſe, nullam eſſe hujusmodi legem, vel adferatur, ſi quæ datur. Nulla erit, ſatis ſcio, contraria viguit conſuetudo, Burgravio Regni hoc munus incumbebat; videret, ne ſubditi a Dominis durius tractarentur, neve oneribus novis opprimerentur; vidi complures ejusmodi litteras, præcipue Zdienkonis Leonis de Rozmital Burgravii minaces ad Ioannem de Witencze in Prz'ibrami vicinia ſevere, & duriter ſubditis imperantem manu propria Burgravii ſcriptas, in quibus magna verborum gravitate hominem increpat, minatur, Regi omnia ſe delaturum, & niſi nova quæ excogitavit, onera tollat, & ſubditos clementius tractet, miſſurum ſe propediem Regios ſatellites, qui Dominum ditione ejiciant, & totam ditionem ejus poſiturum in ſequeſtro. Non potuit igitur conſuetudo illa opprimendi ſubditos in antiqua Bohemia vigere: in qua ſententia mecum rerum Patriarum ſcientiſſimus *Paulus Stransky* fuit, qui poſtquam Nezamyslii Ducis ævo diviſam eſſe *Bohemiam in optimates ſeu nobiles*, & *in cives* ſcripſiſſet, & utrique huic

ordini plebem ſuam paruiſſe velut ſubditam in agris & villis, eique tam a Principe, quam Dominis ultro datam glebam narraſſet, ſubjecit memorabilem ſententiam: *Lene igitur tum, ac perquam moderatum erat, ſicut Principis in nobilitatem, ita nobilitatis in agreſte vulgus Imperium; quod vero Proceres Equeſtresque hujus ævi plerique Colonos ſuos erepta iis penitus omni querelæ facultate acerbiſſimo dominatu aſperrime, & impotenter divexare, immodicis præſtationibus exorbitanter gravare, inhumaniusque non raro, quam jumenta tractare, nihil penſi habent, id Hercle & a Nezamyſli mente, & a more priſco, & ab humanitate omni alieniſſimum, barbarum, reipublicæ perniciosum, ac propterea legibus coercendum, & ad moderationem benigniorem reducendum merito eſt;* *Stransky* non aliquis de trivio, ſed prudens, & legum noſtrarum & patrii moris, ſi quis alius, bene peritus ſcriptor. Ridiculum vero mihi viſum eſt, rebellionem A. 1618. miſeris ruſticis imputare, populus ſimplex *nihil ille nec auſus, nec potuit*; Dominorum imperiis geſta ſunt omnia; non enim pro Domini culpa reus peragitur ſervus, nec facta heri ſervo imputantur; ac ſponſione maxima certare velim, nunquam Regibus noſtris veniſſe in mentem, ut Dominis venia omnium factorum detur in rebellionis crimine tot annis hærentibus; non autem ſubditis (qui glebæ eorum adſcripti ſunt, & Dominos ſuos reſpiciunt, ac permodum unius, ut ita dicam, maſſæ haberi debent) cum Dominis venia data eſt, ſubditis etiam datam eſſe juris periti clamabunt. Totum hoc negotium, ut reor, nihil niſi injuſtitiam continet, ac futurum ſpero, ut regni noſtri negotiis, in melius ordinatis, ceſſet

Stranſky Rep. Boh. C. 11. §. 4.

mi-

miserorum pauperum vexatio, & inopum ratio aliqua habeatur, ac *Deus pauperum vindex lacrimis sudorem*, imo & sanguinem afflictorum respiciat!

Iam exempla mitissimi dominatus aliqua adferamus: *Rosenses proceres* ob summam erga subditos comitatem ita amabantur a suis, ut, cum sparso rumore, D. *Wilhelmus* ob æs alienum bonis decedere deberet, omnes subditi a minimo usque maximum certatim *Crumlovium* pecuniam adferrent, debita Domini sui expuncturi; collecta sunt multa centena aureorum millia, quæ *Wilhelmus* post aliquot dies tractatis, prius & liberali prandio exceptis subditis, ultro restituit, omnesque civitatum, oppidorum & pagorum communitates oblato aliquo privilegio præmiavit, ut narravi latius *primo miscellaneorum libro*. Idem *Wilhelmus Princeps Bohemæ Nobilitatis* dicere solebat: subditos se habere ita sui amantes, ut in cujusvis sinu secure somnum capere possit. Hoc erat *Dynastis* illis vere *Roseis* semper usitatum, cum primum e tutela exissent, captivos omnes e custodiis dimittere (præter qui ære alieno tenerentur) plerisque reis vitæ gratiam facere, Mf. quod ex *Annalibus* Rosensium probare possum. hist. A. 1555. cum difficultas annonæ summa, rerumque necessariarum ad sustentandam vitam caritas esset, *Wilhelmus* ut subditos servaret, cuilibet suæ civitati, oppido, certos pagos assignavit, unde illis annona pro pretio adveheretur, atque ut pretium haberent, sua omnia braxatoria civitatibus ad tempus cessit, illo famis angustissimo tempore, modo ut quatuor grossi albi ex vasis singulis *Fisco* suo numerarentur. D. *Petrus Rosensis hujus Wilhelmi Patruus Trebonenses Cives* multum dilexit, usque tum alia

Mf. hist. Rosen. vide Wenceslaum Brzezan. ad A. 1551. Mf. vita Wilh. Mf Rosens. hist.

 vitæ

vitæ præsidia, tum alterum braxatorium in civitate exstruendum liberalissime A. 1510. concessit: Rosensibus paria faciebant cæteri Proceres: si quis pagus, aut oppidum, aut civitas arsisset, certatim vicini omnes ultro conferebant auxilia, alius ex suis silvis ligna, frumentum alii, alia item sustinendæ vitæ auxilia, dominus vero præcipue instabat operi suorum, jumenta, boves, vaccas concedebat, ut lacte viverent, bobus agellos exararent, dum priorem fortunam recuperarent: exempla vide apud *Wenceslaum Brzezan.* Cum arsisset *Taborium* A. 1551. cum *Lomnicium* ab igne concidisset A. 1560, & passim apud eundem scriptorem ad A. 1501. 1510. 1555.

Non possum hoc loco præterire sine piaculo Hinkonem de *Waldstein* ex *Bohemiæ Proceribus* ortum Brtniczky appellatum, quæ stirps in Moravia consedit, virum nobilissimum, eundemque ditissimum; sunt ejus apud me *literæ* A. 1585. 8. Sept. Bohemicæ, in maxima, quæ tum *Moraviam* infecerat, peste, ad *Wilhelmum Rosensem*; multa in iis literis continentur, non profano homine, sed sacro, & religioso dignissima: cum ostendere conatus esset, pestes hominum ab irato sceleribus nostris Deo prodire, seque etiam causam esse malorum (quod summum est animæ se se demittentis arcanum) in extrema pagella non recusat mori, modo ut pupillis, & alio auxilio destitutis obsequium ultimum præstare possit. Fuit Hinko, dum hoc scriberet, *supremus Moraviæ Capitaneus*, ad eumque honorem per omnes dignitatum inferiorum gradus ascenderat, Regibus Austriacis charissimus; legantur ea, quæ *Paprocius* in speculo *Moraviæ* tradit.

Præ-

Præluxere hac quidem in re exemplo *Reges ac Principes*. *De Caroli IV. in tributis* remissione dixi in *vita Ernesti I.* Archiepiscopi *Pragensis*. *Wladislai* (qui fuit *Ludovici Regis pater*) clementia eo usque progressa est, ut *Rex bene* (dobře) a Bohemis appellaretur; hunc antecessit *Georgius*, cujus in subjectos populos amorem sæpe laudavimus, sed is amor maxime se prodidit in emendatione deterioris *monetæ*, ut in Cap. *de moneta* dictum est: de *Maximiliani II.* & *Rudolfi itidem II.* in petendis *Tributis* moderatione multa possent adferri. *Rudolfus* (ex minimo sumi solent maximarum rerum argumenta) A. 1587 visa vinearum Pragensium sterilitate omne tributum, quod ex iis pendi solebat, remisit; idem factum anno sequenti 1588. media parte tributorum remissa. *Ioannes* quoque *Bohemiæ Rex*, cum *Giczinium civitas* incendio afflicta fuisset, eandem ab omnibus omnino *tributis*, *exactionibus* (quocunque demum nomine colligerentur) in biennium liberavit. Hæc paucula prudenti Lectori sufficient, ex quibus clementiam Regum & Procerum antiquorum in subditos agnoscat.

in vita Ernesti

Mſ. N. 254. Colleg. Clem. S. I.

CAPVT XVIII.

Aliquid de Iudæorum populo, in Bohemia vetere; fraudes, scelera, proscriptiones, atque alia huc spectantia.

Inter Bohemiæ incolas hodie favore quorundam Iudæi numerari possunt, quorum multitudine *Praga* sæculo nostro laborat: nihil in gentem fœdissimam, & Deo ac hominibus exosam acerbius, etsi possem, hoc loco pro-

feram; ea adferre modo contentus, quibus illi se pro sua malignitate, nequitia, & sacrilegiis antiquitati nostræ detestabiles reddiderunt. Quo tempore in Bohemiam irrepserint, nullibi annotatum reperio, sed *Wratislai I. Bohemiæ Ducis*, eoque anno 916. mortuo, sub *Drahomira Judæos Pragæ* habitasse, & cum *Christianis* adversus *Idololatras* pugnasse, & *operam strenuam* navasse, Annales nostri commemorant. *Innocentius IV. Papa* A. 1253. *Pontificatus* Anno XI. hæc *Privilegia Judæis* inter Christianos degentibus dedit: 1) ne ad religionem Catholicam cogantur ab ullo. 2) Ne sine Judicis sententia vexari, spoliari, aut injuriis affici possint. 3) Ne in festivitatibus suis & Sabbatis impediri, aut ad labores cogi; ne eorum tumuli violentur; neque objiciatur ab ullo, quod Christiano sanguine opus habeant in exercitio Religionis suæ, cum juxta legem a sanguine debeant abstinere. *Idem privilegium* confirmavit *Przemyslaus Ottogarus Rex* A. 1254. & *Carolus IV.* A. 1356. & *Rex Wenceslaus* A. 1395. diserte semper, & *Papa* & *Reges* addidere, *si se se quietos præstarent, & nihil adversus Christianos & religionem Christianam molirentur*; quod, an præstiterint, sequentia exempla docebunt. Porro nulla alia exterarum gentium, quam quæ in *Bohemia* gesta sunt, adferentur.

Welesl In Calend hist. 25. Sept. 4. Jan.

Habitavere primum *Judæi* in *minore urbe Pragensi*, at postea A. D. 1067. *Wratislao Bohemiæ Duce* connivente, ex *minore* in *veterem urbem* commigrarunt, in ea migratione amissus est *Christianus puer* triennis *Blahauti civis Pragensis* filius; plurimis tandem militiis compertum, apud Judæum quendam *Reyman* nomine,

Welesl ad 14. Julii. Hagek in Annal.

ne, puerum teneri; convictus *Judæus* cum aliis quinque *Judæis* sceleris, & consilii sociis in flumine Muldava mersi sunt.

A. 1077. *Bohemia* plurium sacerdotum sanguine redundavit: strati passim in viis reperiebantur crudelissime extractis e corpore visceribus, præcipue, qua *Praga Boleslaviam* iter est, authores tamen scelerum latebant, dum denique sacerdotem quendam *Boleslaviam* permissum secuti latenter milites Christiani, *Judæos*, qui in sacerdotem impetum fecerant, deprehenderunt; omnibus humanæ vitæ suppliciis excarnificati perierunt. Cosmas L. 2 hist.

Anno eodem 1077. 17. Junii nocte *Judæi ecclesiam Metropolitanam Pragensem S. Viti* sacrilege argento & auro rapto, spoliarunt. Eodem Anno 30. Septembr. sacrilegium repetentes deprehensi, atque inter ipsos quidam *Kleblar*, opibus inter suos magnus, cum famulo suo *Seligmano*; torti, & hoc, & illud sacrilegium perpetrasse se fassi, *Seligman* in profluentem abjectus & demersus; *Kleblario* spiranti interna omnia extracta. Hagek in Annal. Welesl 17 Jun.

Superiore Anno 1076. *Wratislaus*, qui tunc *Bohemiæ* imperitabat, Judæorum omnium Pragensium censu & numero inito, invenit in Pragensibus urbibus Judæos a bimatu, 5250; pulsi omnes; mille relicti, si plures in Bohemia apparerent, pœnis omnibus, lege lata, obnoxii futuri. Sed post annos complures pedetentim & clam ingressi *Bohemiam*, tolerari cœperunt.

Steng. Com. de rebus August. P. 2. C. 47. & 55 Ibid. P. 2. C. 58. Ibid. P. 2. C. 65. & 68.

A. C. 1290. *Nordlingæ* & in *Franconia* Iudæi omnes occisi, quod Nordlingæ A. 1384. repetitum. *Augustani* vero hoc postremo anno Iudæos suos 22 aureorum millibus multaverunt; iisdemque *Augustanis* diu post, anno videlicet 1438. dato *Pragæ* diplomate *Sigismundus Imperator* permittit, ut urbe Iudæos omnino pellerent, quod etiam factum; rursus cum rediissent A. 1574 ex tota *Episcopi Augustani* ditione sunt pulsi, ut paulo ante A. 1530. ex *Wirtenbergensi ducatu Carolus V. Cæsar* eos proscripsit; crudelius illud, quod *Silvii* verbis dabo: *Albertus Austriæ Dux*, antequam *Romanum* suscepit imperium, omnes Iudæos (qui nollent in Christum credere) in sua ditione occidi jussit; quæ etsi in Bohemia gesta non sint, hic tamen retuli, quia Bohemis sæviendi in Iudæos datum est exemplum.

Silvius in Parallelis L. 3. N. 32.

A 1305. *Sacra Parasceves die* Iudæi atrox in Christianum hominem (puerum vocat *Crugerius*) *Pragæ* ediderunt exemplum. Namque in locum abditum pertractum in cruce nudum suspenderunt, circumstantesque, alius in ipsum spuere, alius os verberare, alius virgis cædere, alii denique illa omnia imitari, quæ *Christo Domino* majores eorum irrogarunt supplicia, eo scelere patefacto, populus Pragensis consurrexit, Iudæosque omnes excogitatis, quæ cuique ira suggerebat, tormentis peremit. Ita *Dubravius* L. 18. & *Crantzius* L. 9. Vandalor. C. 23. *Hagek* in Annalibus. Sed statim alii Iudæi successerunt favore suorum Patronorum.

A.

A. C. 1338. Iudæos omnes una cum fœminis atque etiam infantibus per Bohemiam & Moraviam occiſos, initio ab Auſtriacis facto, hiſtoriæ veteres tradunt, cauſa additur: quod Iudæi *Pulkaviæ in Auſtria SS. Eucharistiam* ab ancilla Chriſtiana emptam confodiſſent, & cum atroci impietate verborum & ſanguine rivis fluente compreſſiſſent; domus illa in eccleſiam converſa, tum alia indicia Pulkaviæ remanent, mihi, dum illuc iter ante plusculos annos haberem, a civibus oſtenſa. Hiſtor. Car. IV. Bohem.

At non ita diu poſt, rediiſſe Iudæos in Bohemiam auctiore etiam ſuorum numero, vel inde conjicimus: quod, cum eos Ludovicus Ungariæ Rex poſt annum Domini 1344. publico edicto ex Ungaria exegiſſet; iidem exacti Auſtriam & Bohemiam (ut loquitur Bonfinius) inundarint, ſed neque edictum illud *Ungaricum Ludovici* prohibere potuit, quin gens ſcelerata etiam in Ungariam iterato penetraret; Tyrnavienſia Iudæorum ſcelera ante A. C. 1494 perpetrata, & diris eorum ſuppliciis (cum innocentem Chriſtianum adoleſcentem ſectis venis & epoto ſanguine necaſſent) expiata diligenter explicat *Bonfinius*, ex quibus (ſi vera ſunt) odium in nos gentis illius a Deo derelictæ, & quanto ſanguine Chriſtiano opus illis ſit in circumciſione ſuorum puerorum, & in aliis publicis, atque privatis uſibus, quisque intelligere poteſt: res eſt lectu digniſſima ad illorum ſcelera pernoſcenda. Bonfin. Decad. 2. L. 10. Dec. 5. L. 4.

A. C. 1355. totam *Europam* graviſſima peſtis incendit; fontes veneno a Iudæis infectos cauſabantur, unde promiſcue Iudæorum cædes fiebant. Idem paulo ante A. 1349. in Welsd. 25. Ian. ex Aventino.

Bo-

Idem 20. Iul. *Bohemia & Moravia* perpetratum a Iudæis Garcæus, Lupacius, Curæus, Hagecius affirmant apud Weleslavinum.

Idem ad 18. April. A. 1389. *Die Paschatis* 18 *Aprilis Iudæi Pragæ prope omnes occisi, quod sacerdotem a S. Nicolao Eucharistiam* in comitatu honestorum virorum ferentem ad ægrotum, lapidibus appetierint, & *Christi SS. Corpus* irriserint, ex quo (ait Mſ.) neci eos dederunt, non parcentes sexui vel ætati; tota ipsorum platea per ignis voraginem fuit consumpta, & innumerabiles Iudæi infra duarum horarum spatium igne & gladio perierunt; & multi parvi Iudæi baptizati sunt.

Mſ. Budvicense.

Welesl 9 Mart. L. 1. C. 37. A. C. 1422. *Domus Senatoriæ a furente plebe Pragensi spoliatæ: itum dein ad Iudæos, expilatique sunt, sed non sine causa in publico odio: nam & Catholicis, & Hussitis placere studebant indignissimis modis. Iudæi, ut Crantzius habet, per Bavariam arma, pecuniasque subministrabant Bohemis hæreticis, quo promptius infestarent fideles Catholicos; gaudium erat infidelium, & perditorum hominum, quod Christiani mutuis se viribus atterent. Sed Fridericus Dux Bavariæ re comperta Iudæos omnes captos misit in carcerem, rebusque exutos docuit alienis malis non gaudere, nec insultare Christianis*; nam bona eorum omnia, quæ non pauca fuere, jussit illico confiscari.

Theobald. in Huss. P. 2. C. 17. A. 1448. In tumultu illo, quo *Gubernator Bohemiæ Maynhardus de Nova domo* Georgii Podiebradii fraude Pragæ captus est, nocte Taboritæ Iudæos quantumcunque fossis munitos agressi spoliarunt, occiderunt, & miseris modis habuerunt.

A.

A. 1478. Iudæi multos ſacerdotes in via occidebant, ſed viciſſim multi occiſi ſunt. Mſ.Curiæ Budvicenſ.

A. 1492. Iudæi Glacio (ubi eorum ingens erat numerus) in omne tempus pelluntur: ab anu quadam Chriſtiana venerabile Sacramentum emere ſtatuerunt. Columna lapidea proſcriptionis monumentum hodieque ſpectatur. Ælur- in Gla. ciogr.

A. 1504. 4. Januar. Iudæi fratres duo Strakonicii in rogum injecti (uti & eorum mater) quod puerum *Chriſtianum cruci affigentes in Chriſti crucifixi* contemptum cultris proſcidiſſent, & exſucto innocenti ſanguine occidiſſent; mater, quæ filium tribus aureis Iudæis vendiderat, in eundem rogum injecta legibus pœnas dedit; abhinc Strakonicio Iudæi pelluntur. Aliam quoque chriſtianam puellam *Annam Dorotheam* nomine, ibidem *Strakonicii a judæa muliere* occiſam narrat venerabilis Pater Albertus Chanowsky S. J. cujus Epitaphium in ſummo templo Strakonicii ante maximum altare hodieque legi poteſt; atque me ipſum legiſſe recordor. Welesl ad 4. Januar. Chanowsky Mſ. Chanowsky in Mſ. verbo Iudæi.

A. 1503 Cum Pragæ apud Iudæos pridie *S. Iannis Baptiſtæ* incendium exortum fuiſſet, & 70 eorum domus conflagraſſent, in Iudæos impetum fecere hominum ſex, (fortaſſe *Fex*) & rebus omnibus ſpoliarunt. Theobald. in Huſſit. P. 3. C. 30.

A. C. 1505. Decembri medio aliquot *Iudæi Budvicenſes*, iterumque anni ſequentis initio 14. *Iudæi Budvicii exuruntur, qui emptum puerum Chriſtianum diriſſime occiderant, & ſanguinem expreſſum* inter ſe diviſerant; quod ſibi per Lega- Mſ. Budvicenſ. B.

tos

tos Budvicensium nuntiatum esse, *Rex Ladislaus in Regiis literis* affirmat, ideoque Iudæos omnes in perpetuum Budvicio proscribit (hodieque exulant) Datum Budæ die Lunæ post oculi A. 1506. ad relationem *magnifici Domini Alberti de Kolowrat, & in Liebstein, supremi Cancellarii Regni Bohemiæ*; ob has causas, & supplicatione *civitatis Pragensis* motus *Wladislaus* A. 1507. decretum tulit, ut intra mensem Iudæi omnes e Bohemia (quod jam antea quater contigerat, pulsique erant omnes) emigrarent; sed hoc decretum pecunia inane est redditum.

Welesl in Calend. 31 Martii. Theob. in Hussit. P. 3. C. 30. A. C. 1507. Rursus Iudæi, decreto Pragensium pulsi, remanent. Supplicaverat Praga, ut Iudæi ob blasphemias & scelerum receptiones pellerentur. Tulit decretum Rex, ut intra mensem pellerentur, at isti pecunia Aulicis Pragensibus porrecta, decretum eluserunt.

Lupac. ad 1. May. A. C. 1512. Pragæ plebs in Iudæos concitata, vix a Magistratibus potuit ab eorum cæde cohiberi, cum Iudæus puerum Christianum lapide interfecisset; Iudæus stipite, per medium hominem acto, sublatus; ita plebs conquievit.

Hagek in Annal. Theob. in Hussit. P. 3. C. 32. Paulo post A. C. 1514. ob similem pueri Christiani cædem Iudæus Pragæ in rotam actus; alioquin jam jam a plebe invadendi & occidendi erant, unius supplicio ægre plebs componi potuit.

A.

A. C. 1520. Iudæi omnes 16 April. *Praga* pellendi, obtinuere, ut ad *Ludovici Regis* adventum remanerent. Welesl ad 16. April.

Cum Iudæorum numerus in Bohemia cresceret, jussi sunt in palliis flavam rotulam seu O gestare, *Ferdinando I.* A. 1551. jubente. Welesl 1. Ian. in Cal.

A. C. 1541. Iudæi omnes *Praga* pulsi, quod in minore Praga faces, & malleolos supposuissent, unde vicinæ domus conflagrarunt; at mora impetrata, diu Pragæ remanserunt. Mſ. Bud

Sequenti anno 1542. decretum factum, quo universa Bohemia Iudæi exiguntur. At iidem favore quorundam Procerum A. 1544. in Bohemiam redire cæperunt. Mſ. Bud Welesl. 14 April

A. 1551. Iudæi in Bohemia Ferdinandi I. mandato pallia muliebria ferre, & in læva ejus pallii parte rotulam flavam instar O literæ gestare jubentur; ajunt, jam Ducis Wratislai temporibus A. 1067. in Bohemia eam rotulam tulisse. Welesl 1. Ian. in Cal.

A. 1561. Iudæi rursus e Bohemia proscripti, per intercessionem plurimorum Procerum remanserunt. Welesl 13. Apr.

A. C. 1588. cum ob cædem Iudæi factam, Christianus quidam Pragæ capite plectendus esset, plebs concitata, carnifices duos lapidibus interfecit, & Iudex fugere coactus est. Mſ. Cuttenen.

Hæc pauca de Iudæorum maleficiis in Patria: plura sine dubio ex historiis aliarum

gen-

gentium depromi possent, sed mihi propositum non fuit, res extra Patriam gestas describere. Utinam hujus gentis malignitas in Christianorum corpora tantum sæviret, neque animis offendiculum præberet! Omnium enim scelerum administros, & paratos adjutores die nocteque inter Iudæos invenies! Certe Vienna ob virtutes proscripti non fuere; patrocinia tamen, quæ pauperibus Christianis desunt, ubique experiuntur; aurum scilicet, ut ait *Poëta*, per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa potentius ictu fulmineo.

FINIS.

Entwurf
einer
Statistik von Böhmen.
Aus einer Handschrift.
Fortsetzung.

III. Kapitel

von der

geistlichen Verfassung.

§. I.

Von der Religion in Böhmen, und den Ketzereyen.

Die Religionsverfassung in Böhmen und Mähren hat mit dem Glaubenswesen im teutschen Reiche, und in den österreichischen Ländern niemals einige Gemeinschaft gehabt, sondern ist davon sowohl in ihrem Ursprunge und in den vormaligen Maßregeln, als auch in den itzigen Grundsätzen gänzlich unterschieden.

Die schon im Anfange des funfzehnten Jahrhunderts von dem hussitischen Unwesen in den böhmischen Ländern entstandenen Religionsirrungen wurden durch den im Jahre 1433 errichteten, und im J. 1436 vollends zu Stande gekommenen baslischen Religionsvertrag, oder sogenannte Kompaktaten beygeleget, durch welche den von der altkatholischen Glaubenslehre abgewichenen böhm. und mähr. Einwohnern die verlangte Kommunion unter beyden Gestalten mit gewissen Klauseln, nebst drey andern, die blosse Kirchenzucht betreffenden Artikeln dergestalt verwilliget worden ist, daß sie hingegen in allen übrigen Lehren und Ge-

bräuchen die Einig- und Gleichförmigkeit mit der allgemeinen kathol. Kirche zu halten angelobet haben, worauf sie gegen Leistung des Kirchengehorsams für wahre Kinder derselben erkennet, und der allgemeine Friede hergestellet, und verkündiget worden ist.

